

/*Cap. 1 De rege et pugile pro filia.*/*

Pompeius regnavit dives super omnia ac potens, qui filiam habebat pulcherrimam, quam multum dilexit, in tantum quod pro sua custodia continue quinque milites dedit, ut sub poena gravi eam custodirent contra omne periculum. Puella ista tenerrime erat nutrita. Venit quidam ad eam, qui multa ei promisit, si sibi consentire vellet. Illa ei consensit, sperans de promissione, de nocte surrexit et eum est secuta. Erat tunc in palatio quidam pugil, qui semper pro iustitia imperii pugnabat. Qui cum audisset, quod filia patrem contempsit, quia erat seducta per regem Babyloniae, agili cursu post eos currebat. Rex videns eum venientem dedit ei bellum. Sed pugil imperatoris, nomine Adonyas, eum in campo devicit et caput amputavit et filiam ad palatium reduxit. Tamen faciem patris non vidit, sed continue gemitus et suspiria emittebat. Haec audiens quidam sapiens in curia imperatoris existens, qui erat semper mediator inter imperatorem et alios constitutus, pietate motus, per eum patri est reconciliata et coram eo vocata ac nobilissimo viro sponsata. Quo facto varia recepit (a patre) donaria. Primo a patre tunicam talarem polimitam, undique habentem hoc intextum: "Dimisi tibi, ne adicias!" A rege quandam coronam auream habentem insculptam: "Ex me tua dignitas!" A quodam propugnatore anulum cum hac scriptura: "Dilexi te. Disce diligere!" Ab illo sapiente mediatore alium anulum sic sculptum: "Quid feci? Quantum? Quare?" A filio regis etiam anulum ubi erat sic sculptum: "Nobilitatem tuam ne contemnas!" A germano proprio quartum anulum, ubi sic erat scriptum: "Accede, ne timeas! Frater tuus sum." A sponso suo sigillum, quo sibi sponsi hereditas confirmabatur, collata, cuius scriptura erat: "Iam coniuncta es. Amplius noli errare!" Puella, postquam illa dona receperat, ea, quamdiu vixit, custodivit et in bona pace quievit.

/*Cap. 2. Statutum, quod filii parentes alerent.*/* Gratianus regnavit, qui statuit pro lege sub poena mortis, quod filii parentes suos alerent. Accidit, quod erant duo fratres ex uno patre. Unus filium habebat et vidit avunculum suum egentem. Statim secundum legem eum sustinebat contra voluntatem patris; et ideo pater suus eum a societate sua expulit. Verumtamen propter hoc non dimisit, quin avunculum egentem sustinuit et neccessaria invenit. Factus est post haec avunculus dives, et pater cepit egere. Filius suus haec videns patrem aluit prohibente avunculo et ideo a societate avunculi est expulsus dicensque ei: "Carissime, tibi constat, quia aliquando egenus eram, et me sustinuisti contra voluntatem patris tui, et ideo te in filium et heredem accepi. Ingratus filius hereditatem non sequitur, sed filius adoptatus, sicut tu fuisti ingratus, quia contra praeceptum adoptantis aluisti." Filius respondit

avunculo: "Nullus debet puniri pro eo, quod lex compellit. Sed lex naturalis et scripta compellit filium subvenire parentibus in necessitate maxime ac eos honorare. Et ideo expelli ab hereditate de iure non debeo."

/*Cap. 3. Statutum, si mulier esset fornicata.*/ Honorius regnavit, qui statuit pro lege, quod, si mulier esset sub viro adulterata, sine misericordia de alto monte praecipitari deberet. Accidit casus, quod quaedam mulier sub viro suo erat adulterata. Unde secundum legem de monte alto erat praecipitata; sed descendit de monte tam suaviter, quod in nullo erat laesa. Ducta est ad iudicium. Iudex videns, quod mortua non esset, dedit feminam, quod iterum deberet praecipitari et mori. Ait mulier: "Domine, si sic feceris, contra legem agis, quia lex vult, quod nullus debet bis puniri pro uno delicto. Ego eram praecipitata, et deus me salvavit miraculose. Ergo videtur, quod iterato non debeo precipitari, nisi contra legem iterato committerem." Et sic salvata est.

/*Cap. 4. De oppressione.*/ Claudius regnavit, qui statuit pro lege, quod, si quis mulierem raperet et vi eam opprimeret, in electione mulieris esset, utrum mori deberet, vel eam in uxorem acciperet sine dote. Accidit casus, quod quidam rapuit una nocte duas mulieres. Una petiit mortem et altera nuptias. Raptor captus est et ductus coram iudice, ut duabus mulieribus secundum legem responderet. Prima mulier mortem petiit secundum legem. Secunda eum in virum petiit secundum legem et dixit primae: "Verum est, quia lex dictat, quod petitionem obtineas. Et sic pro me facit. Sed quia mea petitio est mitior et magis caritativa, ideo mihi videtur, quod iudex pro me allegabit." Ambae coram iudice perrexerunt, et quaelibet beneficium legis postulabat. Iudex cum utramque rationem audivit, secundae mulieri concessit, ut eum in virum obtineret. Et sic factum est.

/*Cap. 5. De iuvene capto a piratis, quem pater noluit redimere.*/ Zenon regnavit, in cuius imperio erat quidam iuvenis captus a piratis. Scripsit patri suo pro redemptione. Pater noluit eum redimere, sicque iuvenis multo tempore erat maceratus in carcere. Ille, qui eum in vinculis tenuit, quandam filiam habebat pulchram ac oculis hominum gratiosam, quae saepius incarcerationum visitare solebat et consolari; sed ille tam desolatus consolationem non recepit, sed suspiria et gemitus cottidie emittebat. Accidit quodam die, quod, cum puella eam visitaret, ait ei iuvenis: "O bona puella,

utinam velles pro mea liberatione laborare!" Quae ait: "Quomodo hoc potero attemperare? Pater tuus, qui te genuit, non vult te redimere; ego vero, cum sim tibi extranea, quomodo debeo hoc perpetrare? Et si te liberarem, offensam patris mei incurrerem, et per hanc tuam redemptionem pater meus perderet. Verumtamen concede mihi unum, et te liberabo!" At ille: "O bona puella, pete a me, quod tibi placuerit! Si mihi est possibile, ego concedam." At illa: "Nihil aliud peto pro tua liberatione, nisi quod me in uxorem ducas opportuno tempore, et ab isto carcere te liberabo immediate." Qui ait: "Hoc tibi firmiter promitto." Statim puella patre ignorante ipsum a vinculis liberavit et cum eo ad patriam fugit. Cum vero ad patrem suum venisset, ait ei pater: "O fili, de tuo adventu gaudeo; sed dic mihi, qualis est ista puella, quam tecum duxisti?" At ille: "Filia regis est, quam in uxorem habebo." Ait pater: "Sub poena amissionis hereditatis meae nolo, quod eam in uxorem ducas." At ille: "O pater, quid dicis? Plus ei teneor, quam tibi. Quando eram captus in manus inimici et fortiter advinculatus, tibi scripsi pro mea redemptione. Noluisti me redimere. Ipsa vero non tantum a carcere, sed a periculo mortis liberavit me. Ideo eam in uxorem ducere volo." Ait pater: "Probo tibi, quod non possis in eam confidere et per consequens in uxorem non habere. Patrem proprium decepit, quando ipso ignorante te a carcere liberavit, pro qua liberatione pater eius multa perdidit, quia totam tuam redemptionem. Ergo videtur, quod tu non poteris in ea confidere et ideo nullo modo a in uxorem sumere. Item alia ratio est ista. Licet te liberavit, hoc fuit causa libidinis, ut posset te in virum habere. Et ideo, quia eius libido erat causa liberationis tuae, non mihi videtur, quod uxor tua est." Puella audiens istas rationes ait: "Ad primam rationem respondeo: Quando dicis, quod ego decepi patrem proprium etc. dico, quod non est verum. Ille decipitur, qui in aliquo bono diminuitur. Sed pater tam meus tam locuples est, quod alicujus auxilio non indiget. Cum hoc perpensi, iuvenem istum a carcere liberavi. Et si pater meus redemptionem pro eo accepisset, non maius dives esset, quia plus habet, quam expendere potest, eo quod in omnibus abundat, et tu per redemptionem depauperatus esses. Ergo te salvavi, quod redemptionem non dedisti, et patri meo nullam iniuriam feci. Ad aliam rationem, quando dicis, quod ego ex libidine hoc feci, respondeo: "Hoc nullo modo potest fieri, quia libido venit ex causa pulchritudinis aut propter divitias aut propter fortitudinem. Sed filius tuus nullam istarum habuit, quia pulchritudo eius per carcerem erat annihilata; nec dives fuit, quia non habuit, unde se ipsum redimeret, nec fortis, quia fortitudinem perdidit. Per carceris macerationem. Ergo sola pietas me movebat, quod ipsum liberavi." Pater haec audiens non poterat ulterius contra filium arguere. Filius vero cum magna solemnitate eam in uxorem duxit et sic in pace vitam finivit.

/*Cap. 6. Quod alter pro amore alterius moreretur.*/ Valentinianus regnavit potens ac tyrannus, qui quandam puellam, regis filiam, pulchram valde desponsavit. Facta desponsatione cum ea per iuramentum conduxit, quod, si quis eorum prius moreretur, alter prae nimio amore moreretur. Accidit semel, quod imperator iste ad partes longinquas se transtulit et diu moram ibidem traxit. Volens probare uxorem misit nuntium ad eam de morte sua. Audiens haec uxor propter iuramentum, quod ante fecerat viro suo, de alto monte se praecipitavit, ut moreretur. Verumtamen non est mortua, sed sanitati infra tempus breve restituta. Deinde volebat iterato se ipsam praecipitare, ut moreretur, propter iuramentum, quod fecerat. Pater eius haec audiens ei praecepit, ut praecepto viri non oboediret, sed totaliter talem virum dimitteret. Illa ei oboedire nolebat. Pater ait: "Ex quo non vis mihi oboedire, cito extra societatem meam exeat!" At illa: "Nolo, et hoc per talem orationem. Quandoque aliquis est iuramento obligatus, per legem tenetur id adimplere. Ego iuravi viro meo, quod pro eius amore moriar. Ideo non deliqui, quare ego a societate tua debeo expelli. Item nullus debet puniri pro eo, quod est commendabile. Sed cum vir et uxor sint unum secundum deum, commendabile est, quod uxor moriatur pro amore viri sui. Unde talis lex aliquando erat in India, quod uxor post mortem viri sui prae dolore et amore deberet se ipsam comburere, vel viva cum eo in sepulchrum poni. Et ideo mihi videtur, quod non delinquam, quando me ipsam propter amorem viri mei interficio." Ait pater: "Quando prius dixisti, quod obligata iuramento fuisti etc. tale obligamentum non valet, quia praetendit ad malum finem, scilicet ad finem mortis. Semper iuramentum debet esse licitum et rationabile et non contra pietatem, et ideo iuramentum tuum nullum est. Ad aliam rationem, quando dixisti, quod illud est commendabile, quod uxor moriatur pro viro, non valet, quia, licet sint in corpore unum per carnalem affectionem, in anima duo sunt, quae ab invicem realiter differunt. Et ideo non valet, quod dixisti." Puella haec audiens non poterat ulterius arguere, sed dictis patris adhaesit, nec ulterius volebat se praecipitare nec amplius viro copulari.

/*Cap. 7. De filio militis, qui duxit meretricem.*/ Theodosius regnavit, in cuius imperio erat quidam miles generosus, qui duos filios habebat. Filius iunior contra voluntatem patris meretricem desponsavit. Cum pater hoc audisset, contristatus est valde, illum a societate sua expulit. Iste sic expulsus in magna miseria est positus. Tamen de meretrice uxore sua filium genuit. Et

aeger valde factus est. Statim misit ad patrem nuntium, ut misericordiam de eo haberet. Pater vero misertus est ei et est ei reconciliatus. Ipso reconciliato patri suo filium, quem de meretrice genuerat, recommendavit. Pater vero ipsum quasi in filium proprium recepit et nutrit. Haec audiens alius frater dixit patri suo: "Tu es demens, et hoc probo tali ratione. Ille demens est, qui filium in heredem accipit et nutrit, qui ei magnam iniuriam fecit. Sed frater meus, qui istum genuit, fecit tibi magnam iniuriam, quando meretricem contra tuum praeceptum desponsavit. Ergo videtur, quod tu sis demens." Pater ad hoc respondit: "Fili, frater tuus est mihi reconciliatus per magnam contritionem, quam habuit, et preces aliorum. Ideo me oportet filium suum diligere plus quam te hac ratione. Tu contra me commisisti et nunquam reconciliatus mihi fuisti. Iam tu es ingratus fratri tuo propter hoc, ex quo velles ipsum a societate mea expellere. Carissime, certe nullus ingratus filius debet consequi hereditatem. Tu noluisti eum mihi reconciliasse, immo impedivisti, quantum potuisti. Ergo partem hereditatis meae numquam obtinebis, sed illam, quam deberes obtinere, frater tuus occupabit." Et sic factum est.

/*Cap. 8. De tribus imaginibus.*/ Leo primus regnavit, qui miro modo delectabatur pulchras virgines videre. Unde fecit fieri in quodam templo tres imagines stantes et praecepit, ut omnes eas adorarent. Prima imago habebat manum extensam ad populum et in uno digito anulum auream, et super digitum erat superscriptio talis: "Ego sum curialis. Ecce anulus!" Secunda imago barbam auream habebat, et in fronte eius erat scriptum: "Ego sum barbatus. Si quis calvus fuerit, ad me veniat et de pilis meis accipiat!" Tertia imago habebat chlamydem auream et tunicam de purpure et pallo, et in pectore eius erat scriptum litteris aureis: "Ego sum, qui neminem timeo" Iste tres imagines erant lapideae interius. Cum autem fuissent completae secundum voluntatem imperatoris, statuit pro lege, quod quicumque anulum vel barbam auream aut chlamydem auferret, morte turpissima esset condemnatus. Accidit quodam tempore, quod quidam tyrannus templum intravit vidensque primam imaginem cum digito extenso anulum a digito extraxit. Deinde ad imaginem secundam accessit et barbam auream ab ea abstulit. Post haec ad imaginem tertiam pervenit, chlamydem ab ea tulit et de templo recessit. Populus cum imagines spoliatas vidisset statim ad imperatorem omnes accesserunt et de tali transgressione contra legem factam accusabant. Imperator statim transgressorem, id est tyrannum, convocari fecit et super delicto eum arguebat, quod imagines contra praeceptum spoliavit. At ille: "Domine, licitum est mihi respondere?" Qui

ait: "Mihi bene placet." "Quando templum intravi, prima imago manum ad me extendit habensque in digito anulum, ac si diceret: 'Anulum istum accipe!' Tamen propter manus extensionem anulum nolui recipere, quousque in digito superscriptionem legi, scilicet: Ego sum curialis. Ecce anulus! Statim intellexi per scriptionem, quod voluntas eius esset, ut anulum acciperem, et ideo accepi. Deinde ad secundam imaginem veni, et cum vidissem eam barbam auream habentem, in corde meo cogitavi et dixi: 'Pater istius numquam talem barbam habebat, quia saepius eum vidi; et quod filius sit altior quam pater, ratio non dictat, bonum est et utile barbam eius auferre. Verumtamen hoc non obstante barbam nolui extrahere, quousque legi superscriptionem: 'Ego sum barbatus. Si quis calvus fuerit, ad me veniat et de pilis meis accipiat!' Sicut videtis, calvus sum, et ideo barbam auream accepi propter duo. Unum est, ut patri suo esset similis. Secundo, ut, per pilos eius capiti meo calvo subvenirent. Deinde accessi ad tertiam imaginem, quae chlamydem auream habebat. chlamydem abstuli, eo quod in hieme aurum est frigidum, et imago erat lapidea, et lapis naturaliter est frigidus, et ideo, si haberet chlamydem auream, esset addere frigiditatem frigidus, quod est grave imagini. Item si in aestate haberet chlamydem, esset ei nimis ponderosum. Adhuc propter ista non abstulisset, donec superscriptionem frontis legissem: Ego sum, qui neminem timeo. Cum vero tantam superbiam in ea legissem, ut humiliaretur, chlamydem abstuli." Ait imperator: "Carissime, quando lex erat data, ut nullus imagines spoliaret, non erat in lege provulgatum, quod aliquis imagines propter causam aliquam spoliaret? Et ideo, quia te intromisisti de eis, quae ad te non pertinebant, do pro iudicio, ut hodie suspensus sis in patibulo." Et sic factum est.

/*Cap. 9. De filio patrem persequente.*/ Leo secundus regnavit prudens valde, qui pulchram filiam puellam regis Syriae in uxorem habebat, quae peperit ei filium pulcherrimum. Crevit puer, et cum ad aetatem legitimam pervenisset, patri suo semper insidias fecit et per omnia mortem eius quaesivit. Admirabatur imperator. Venit ad imperatricem et ait: "Carissima, audacter sine timore aliquo secretum cordis tui revela mihi! Dic mihi, utrum aliquo tempore ab aliquo quam a me sis corrupta, si sit iste filius meus, qui mihi tantum insidiatur!" At illa: "Novit deus, qui non fallitur, quod numquam ab aliquo cognita sum nisi a te! Et hoc parata sum per omnem viam probare. Et iste est filius tuus, qui te tantum insequitur; sed causam huius persecutionis penitus ignoro. Rex cum hoc audisset, statim cum mansuetudine filio suo locutus est dicens: "Bone, inquit, fili, ego sum pater tuus; per me mundum intrasti et heres meus eris. Cur mihi mortem minaris?"

In deliciis nutriti te, et omnia mea tua sunt. Desine, inquit, ab ista iniquitate et noli me occidere!" Filius vero dictis eius non acquiescens, de die in diem malitia eius crescebat et semper patrem occidere nitebatur. Pater hoc videns in locum desertum perrexit et filiam secum duxit portansque gladium in manu sua tradidit filio suo dicens: "O fili mi, interfice me, quia minus scandalum est tibi me hic interficere in occulto quam coram populo!" Filius haec audiens statim gladium a se proiecit et coram patre genu flexo cum fletu magno misericordiam ab eo petivit dicens: "O pater, peccavi; iam non sum dignus vocari filius tuus. Peto, ut mihi remittas et me diligas, et filius tuus humilis ac fidelis per omnia de cetero ero." Pater vero eius pietate motus osculatus est eum et ait: "O fili dulcissime, amodo non delinquas, sed esto mihi filius fidelis, et ego tibi pater gratiosus!" Et sic factum est. Ambo in pace vixerunt et vitam in bono finierunt.

/*Cap. 10. De filia in venenosis nutrita.*/ Alexander regnavit, qui erat tam fortis tempore suo et potens, quod nullus eum devincere potuit. Et quantum ad sapientiam magistrum Aristotelem habebat secum, qui eum in omni sapientia instruebat. Haec audiens regina aquilonis filiam suam a tempore nativitatis veneno nutriti, et cum ad aetatem legitimam pervenisset, erat tam pulchra et in omnibus amorosa, ita quod multi per aspectum eius infatuati fuerunt. Tandem regina eam ad Alexandrum misit, ut esset eius concubina. Visa puella, statim captus est in eius amore et dormire cum ea volebat. Haec percipiens magister Aristoteles dixit ei: "Nolite talia attemperare, quia, si feceritis, incontinenti moriemini, eo quod ipsa sit toto tempore vitae suae veneno nutrita! Et ut verum fuerit, quod dico, statim hoc probabo." Hic est quidam malefactor, qui per legem mori debet; cum ea dormiat, et tunc videbitis, si verum dixerim." Et sic factum est. Malefactor osculatus est eam, coram omnibus cecidit et mortuus est. Alexander haec percipiens magistrum suum miro modo laudabat, qui eum a morte liberavit. Puellam matri remisit.

/*Cap. 11. De duobus anulis, amoris et oblivionis.*/ Fridericus in civitate romana regnavit, qui diu remansit sine prole. Et uxorem tandem per consilium sapientum quandam puellam pulchram valde de longinquis finibus mundi desponsavit et cum ea in patria ignota diu moram traxit et prolem ex ea genuit. Post haec ad imperium suum accedere volebat. Sed nullam licentiam ab ea poterat habere; immo ipsa semper dicebat, si de ea recederet, se ipsam interficeret. Imperator cum haec audisset, fecit fieri duos annulos optimos et sculpsit imagines in gemmis huius efficaciae, ut una esset imago memoriae et altera imago oblivionis. Cumque paribus anulis eas inservisset,

unum anulum, scilicet oblivionis, uxori praebuit, alterum ipse tulit, ut sicut pari amore sic paribus anulis insignirentur. Uxor incepit statim amoris viri oblivisci. Imperator haec videns ad imperium cum gaudio se transtulit nec ulterius ad uxorem est reversus. Et vitam in pace finivit.

/*Cap. 12. De sacerdote et rivulo.*/ Erat quidam imperator, in cuius imperio erat quidam sacerdos lubricus, qui per hoc subditos multotiens perturbavit, et per hoc scandalizati multum erant. Erat unus parochialium suorum, qui nunquam interesse voluit missae ipsius, dum celebravit. Accidit quodam die festivo, quod tempore missae eius solus in campo deambularet et miro modo sitiebat, in tantum quod videbatur ei mori, nisi posset sitim extinguere. Accidit, dum ambulasset, venit ad quendam rivulum purissimi fontis. Quo viso incepit haurire et fortiter bibere. Sed cum plus gustasset et bibisset, tanto ardentius sitiebat. Intra se admirabatur et dixit: "Fontem huius rivuli quaerere volo!" Dum autem ambulasset, obviabat ei quidam senex pulcher valde et ait ei: "Carissime, quo tendis?" Qui ait: "Ultra quam credi potest sitio. Inveni unum rivulum aquae, de quo bibo, et quanto plus bibo, tanto amplius sitio. Ideo fontem illius rivuli quaero, ut de fonte bibam, si sitim extinguere possim." Ait senex: "Ecce hic est fons, de quo rivulus ille procedit! Sed dic mihi, quare cum aliis christianis ad audiendum divinum officium ecclesiam non intrasti!" Qui respondit: "Vere, domine, quia sacerdos noster execrabilem ducit vitam, quod ipsum non credoundas missas et deo placitas celebrare." Ad quem senex: "Si ergo tu sitis, ut dicis, ecce fons, de quo tam dulcis aqua rivuli procedit, de qua bibisti!" Respexit ille vidensque canem fetidissimum habentem os apertum, per cuius os et dentes totius fontis scaturigo emanabat mirabiliter. Quod dum ille perspicacius agnovisset, mente confusus expavit; toto corpore pertremiscens propter foetorem non audebat gustare et miro modo sitiebat. Quem senex intuens ait illi: "Noli timere, quia potasti de rivulo huius fontis! Nullam enim molestiam tibi generabit." Ille haec audiens gustavit, sitim extinguit et ait: "O domine, tam dulcem aquam nunquam bibit homo." Qui ait: "Vide modo, quemadmodum haec dulcis aqua per os canis fetidi observato colore proprio cum sapore nec polluitur nec mutatur! Carissime, sic et missa per indignum sacerdotem celebrata. Et ideo, quamvis tibi displiceat vita talium presbyterorum, tamen devote missas debes audire." His dictis senex evanuit ab eo. Et quod viderat, aliis narravit et post haec devote missas audivit.

/*Cap. 13. De regina, quae de filio concepit et partum iugulavit.*/

Quidam imperator erat, qui pulchram uxorem habuit, quam miro modo dilexit. Ipsa primo anno concepit et filium pulcherrimum peperit, quem multum dilexit, in tantum quod singulis noctibus in uno lecto cum eo iacebat. Cum autem puer tres annos in aetate complevisset, mortuus est imperator. De cuius morte factus est dolor intolerabilis. Regina multis diebus mortem eius planxit. Cum autem sepulturae fuisset traditus, regina per se in quodam castro vixit habensque secum filium suum. Puerum istum tantum dilexit, quod ab eo separari non poterat. Ambo continue simul iacebant, donec puer XVIII annos in aetate complevit. Vidensque diabolus amorem ordinatum inter filium et matrem eos ad nefarium opus sollicitavit, in tantum quod filius propriam matrem cognovit. Regina vero statim concepit. Cum vero impraegnata fuisset, filius eius totum regnum prae dolore amisit et verecundia et ad partes longinquas accessit. Mater, cum tempus pariendi adesset, filium pulcherrimum peperit vidensque filium statim illum iugulavit scindens guttur eius per medium. Sanguis gutturis cecidit in palma sinistra manus matris, factique sunt quatuor circuli rotundi in ista forma: (∪) (∪) (∪) (∪). Unde ipsa nulla arte poterat circulos de manu sua evellere. Et propter hoc ducta verecundia semper in illa manu utebatur cyrotheca, ne circuli sanguinei viderentur. Regina ista satis devota erat, et cum tantum verecundaretur, quod ex proprio filio concepit et proprium filium occidit, quod nullo modo de hoc confiteri volebat, et tamen omni quindena de peccatis suis fuit confessa. Regina ista miro modo virginem Mariam dilexit et elemosinam pro eius amore saepius dedit. Ab omnibus erat dilecta, quia erat omnibus gratiosa. Accidit una nocte, quod confessor eius coram lecto genu flexo quinquies Ave Maria beatae virgini diceret. Apparuit ei beata virgo et ait: "Carissime, ego sum virgo Maria. Habeo tibi aliqua proferre." Confessor eius gavisus est valde et ait: "Dic, domina carissima, servo tuo, quae tibi placent!" Quae ait: "Regina istius regni tibi confitetur. Tamen unum peccatum commisit, quod non audet prae nimia verecundia tibi pandere. Die vero crastina ad te veniet causa confessionis. Dic ex parte mea, quod elemosinae suae et orationes sunt praesentatae in conspectu filii mei et acceptae, et quod confiteatur de illo peccato, quod private in camera sua commisit, quia rogavi filium meum pro ea et remissum est ei peccatum, si voluerit confiteri. Si vero dictis tuis noluerit acquiescere, roga eam, ut cyrothecam de manu sua sinistra deponat! Et in palma eius peccatum suum commissum et non confessum videbis. Si noluerit cyrothecam deponere, vi eam extrahe." His dictis beata virgo evanuit. Mane vero regina satis humiliter confitebatur de omnibus excepto illo peccato. Cum autem omnia dixisset, quae ei placuerunt, ait confessor: Domina et filia carissima, multi multa locuntur, quare semper in manu sinistra cyrothecam portas. Audacter

mihī manum extēdas, ut possim videre, si lateat aliquid, quod deo non placeat!" At illa: "Domine, manus mea sana non est, et ideo eam tibi ostendere nolo." Ille haec audiens per brachium eam accepit et contra voluntatem eius cyrothecam abstraxit et ait: "Domina, noli timere! Beata virgo, quae te intime diligit, mihi praecepit, hoc perpetrare." Cum vero manum apertam vidisset, vidit quatuor circulos sanguineos ac rotundos. Et in primo circulo erant quatuor C C C C, in secundo circulo IV D D D D, in tertio circulo IV M M M M, in quarto circulo IV R R R R. Et in circuitu circulorum ad modum sigilli erat talis superscriptio rubea: "Casu Cecidisti Carne Caecata; Demoni Dedisti Dona Dotata; Monstrat Manifeste Manus Maculata; Recedet Rubigo Regina Rogata." Domina cum haec vidisset, ad pedes confessoris cecidit et cum lacrimis satis humiliter confitebatur de illo peccato. Accepta absolutione et penitentia completa infra paucos dies obdormivit in Domino.

/*Cap. 14. De filio, qui patrem liberavit.*/ Dorotheus statuit pro lege, quod filii parentes suos sustentarent. Erat in imperio tunc temporis quidam miles, qui uxorem pulchram acceperat et de ea filium genuit. Profectus est miles ad peregrinandum; per viam est captus et fortiter advinculatus. Statim scripsit uxori et filio pro redemptione sua. Uxor haec audiens in tantum fleuit, quod caeca facta est. Ait filius matri: "Volo ire ad patrem meum, ut eum redimam a vinculis." Ait mater: "Non ibis, eo quod tu sis unicus filius meus et gaudium animae meae et dimidium animae meae; et posset tibi contingere sicut et sibi. Malles tu patrem absentem redimere quam matrem praesentem alere? Quotiens aliqua res est duobus equalis et communiter, potestas eius est tota, qui praesens est. Tu es filius patris tui et meus, qui de utero meo existi. Ego vero sum praesens, non autem pater tuus. Concludo ergo, quod nullo modo debes a me recedere." Respondit filius et multum bene: "Licet sim filius tuus, tamen pater meus est principalis causa generationis meae, ille agens, tu vero patiens. Pater meus profectus est peregre, tu autem domi; ille vero captus et fortiter vinculatus est, tu vero libera; ille in manibus inimicorum, tu vero inter amicos; ille inclusus, tu vero libera. Tu es caeca, ille vero non videt lucem, sed catenas, vulnera et miserias. Et ideo ad eum volo pergere et ipsum redimere." Et sic factum est. Unde omnes filium laudabant, qui sic pro redemptione patris laboravit.

/*Cap. 15. De filio, qui novercam noluit curare.*/ Gorgonius regnavit in civitate romana, qui uxorem pulchram accepit, quae ei filium peperit. Crevit

puer et ab omnibus [est] dilectus. Cum autem X annos in aetate complexisset, mortua est imperatrix, mater eius, et honorificae sepulturae tradita. Post haec ex communi consilio imperator aliam uxorem duxit, quae filium primae uxoris non dilexit, sed multa opprobria ei contulit. Imperator haec percipiens volens placere uxori filium suum extra imperium ad studium misit. Filius vero sic expulsus artem medicine didicit et in tantum profecit, quod factus est physicus optimus. Post haec imperator audiens, quod filius eius in studio multum profecisset, gavisus est valde. Verumtamen cecidit in gravem infirmitatem; litteras pro filio misit, ut ad eum sine ulteriori dilatatione veniret et eum ab infirmitate curaret. Filius vero cum voluntatem patris intellexisset, ad patrem venit et eum peroptime sanavit. Unde fama eius per totum imperium volabat, quod tam subtilis physicus factus esset. Post haec imperatrix, noverca eius, usque ad mortem infirmabatur. Unde medici sunt adducti, qui de vita eius desperabant. Haec audiens imperator rogavit filium suum, ut eam curaret. At ille: "Petitioni vestrae nolo consentire." Cui imperator: "Si sic est, extra imperium meum te expellam. Ait filius: "Si sic agis, iniuste mecum agis. Bene tibi constat, quod me extra imperium expulisti propter eius suggestionem. Unde mea absentia fuit causa doloris tui ac infirmitatis tuae. Eodem modo mea praesentia est causa et occasio doloris et infirmitatis novercae. Ideo nolo ei medicinam dare, quia, si manum ei imponerem et nullum profectum inducerem, mihi imputaretur." Ait pater: "Eundem morbum habet, sicut ego habui." Respondit filius: "Pater, licet sit eadem infirmitas, non tamen eadem complexio in te et in illa. Quidquid ego tibi feci, gratum et ratum habuisti; quando palatium tuum intravi, recreatus fuisti. Si noverca mea videt me, gravatur; si loquor, ei dolor incenditur; si tango eam, extra se erit. Et ideo nihil magis prodest aegris curari quam ab eo, cui volunt et desiderant et in quibus affectant." Et sic per tales rationes evasit. Et mortua est noverca.

/*Cap. 16. De munditia leprae.*/ Erat quidam princeps nomine Naaman, qui cum fuisset princeps militiae regis Syriae, erat dives valde, sed leprosus. In obsequio uxoris Naaman erat quaedam puella de terra Israelis, quae ait ad dominam suam: "Utinam fuisset dominus meus ad prophetam Helyzeum Samariae, qui curaret eum!" Qui cum venisset ad prophetam, mandavit Helyzeus, ut descenderet et septies in Iordane lavaret se. Cumque lavisset se septies, iuxta sermonem viri dei restituta est caro eius, sicut caro parvi pueri, et mundatus est a lepra.

/*Cap. 17. De pugna militum.* / Adonyas regnavit dives valde, qui torneamenta et hastiludia multum diligebat. Unde quoddam torneamentum fecerat proclamari, et a quicumque in torneamento fortius se habebat, mercedem condignam ab imperatore obtineret. Multi ad torneamentum venerant. Imperator ordinavit, ut milites dividerentur, ita quod ex parte una plus valentes ordinavit et tot ex alia parte. Illi vero, qui primo ordinati fuerunt, omnia scuta sua in uno loco ad hoc deputatum per ordinem posuerunt. Hoc facto imperator praecepit, ut quicumque ex alia parte scutum alicuius cum hasta sua tangeret, statim ille, cuius erat scutum tactum, ad tornamentum descenderet, et una virgo ad hoc electa illum armaret. Deinde contra alium luderet, et si eum in ludo obtineret, illa die corona regis coronatus esset et iuxta latus regis in mensa collocatas. Miles quidam haec audiens diligenter omnia scuta respexit, unum scutum, in quo volebat ludere, tetigit; alius vero in continenti se per puellam fecit armari. Descendit et contra eum ludebat. In quo ludo caput eius amputavit, qui scutum suum tetigit, et mercedem condignam ab imperatore recepit.

/*Cap. 18. De illo, qui in foveam serpentum cecidit.* / Erat quidam imperator, in cuius imperio pauper mansit, qui singulis diebus ad quandam forestam perrexit, ut ligna colligeret et pro se et uxore ac pro liberis venderet, ut eos sustentaret. Accidit quodam die, quod ad forestam cum azino perrexit. A casu incidit in densitatem nemoris et subito cecidit in quandam profundam foveam, de qua nullo modo exire potuit. In illa fovea erat quidam draco horribilis, qui totam foveam inferius cum cauda circumvolvitur. Super eum erant serpentes infiniti, et singulis diebus serpentes semel in profundum foveae descenderunt ad quendam lapidem, qui erat in medio putei; quilibet post alium lapidem lambebat, et sic ascenderunt per ordinem. Deinde draco lapidem lambebat et post haec per totum diem quiescebat. Pauper cum hoc vidisset, intra se cogitabat: "Multis diebus hic sine cibo et potu steti; filius mortis sum ego. Pergam ad illum lapidem et lambam, sicut serpentes fecerunt." Perrexit ad lapidem et cepit lambere et invenit omnem saporem, quem desiderabat. Ita est refocillatus, ac si omnem cibum gustasset. Infra paucos dies tonitruum magnum audivit, tam horribilem, quod omnes serpentes exierunt, unus post alium. Cum vero omnes exissent, draco extra foveam volabat. Pauper haec videns tenuit caudam draconis. Draco vero eum de fovea levavit et ad magnam distantiam de fovea eum proiecit. Ille vero per aliquot dies ibidem stetit, donec homines veniebant. Ille audiens strepitum euntium clamavit, ad cuius clamorem homines venerunt et eum extra nemus duxerunt.

/*Cap. 19. De elephante et virginibus.* Erat quidam imperator, qui habuit quandam forestam, in qua erat elephas, cui nemo audebat appropinquare. Haec audiens imperator a philosophis naturam elephantis quaesivit. Illi vero respondebant et dixerunt, quod virgines nudas multum diligeret ac in cantu earum delectaretur. Imperator statim fecerat inquiri duas puellas pulchriores, quas in imperio habebat. Inventae sunt duae virgines. Ambae forestam intrabant totaliter denudatae. Una pelvim accepit, altera gladium, et inceperunt dulciter cantare per forestam. Haec audiens elephas venit ad eas et coepit mamillas earum lambere. Ille cantum continuabant tamdiu, quousque elephas requievit in gremio eius, quae pelvim portabat. Puella alia videns elephantem dormire cum gladio illum occidit. Puella alia sanguinem in pelvi accepit, et de illo sanguine rex fecit fieri purpuram.

/*Cap. 20. De regina et duobus filiis.* Pippinus regnavit in civitate Romanorum, qui quandam puellam pulchram valde desponsavit, quae concepit et filium peperit, sed in partu mortua est. Duxit aliam et ex illa alium filium genuit. Utrumque filium, primum et secundum, ad nutriendum in longinquas partes misit. Isti duo filii per omnia erant similes. Cum vero per, longa tempora ibi starent, mater secundi filii desideravit filium suum videre. Rex ei concessit, nuntium pro duobus filiis misit. Cum autem venissent, tam similes erant per omnia, quod mater, quis eius filius esset, penitus ignorabat. Diligenter ab imperatore saepius quaesivit, quis eius filius esset. Sed rex ei indicare noluit. Ipsa haec audiens flevit amare. Imperator cum hoc vidisset, ait ei: "Noli flere! Iste est filius tuus." Et nominavit sibi filium, quem de prima uxore genuit. Ipsa haec audiens statim totam curam dedit filio illo ad nutriendum et de illo parum aut nihil curabat, qui erat proprius filius suus. Imperator cum haec vidisset, ait ei: "Quid facis? Decepi te. Sine dubio iste est filius tuus, quem peperisti." Ipsa cum hoc intellexisset, statim adhaesit ei et nutrit eum et alium sprexit. Imperator cum hoc percepisset, ait ei: "Adhuc decepi te. Iste non est filius tuus, sed unus illorum est." At illa: "Quare sic agis mecum? Indica mihi, rogo te!" Et ille: "Nolo, et haec est causa. Si tibi dixissem veritatem, unum velles diligere et alterum odire; ideo volo, ut ambos aequaliter nutrias. Et cum ad aetatem legitimam pervenerint, tunc tibi veritatem dicam, et gaudebit cor tuum." Et sic factum est. Ambos peroptime nutrit, donec veritatem scivit.

/*Cap. 21. De statua Danielis.* Habetur Danielis secundo: Daniel vidit

statuam, cuius caput erat ex auro purissimo, pectus et brachia de argento, venter et femora de aere, tibiae autem ferreae, pedum quaedam pars ferrea et quaedam pars fictilis. Daniel istam statuam videbat, et abscisus est lapis sine manibus, et percussit statuam in pedibus ferreis et fictilibus et comminuit eos.

/*Cap. 22. De rege, qui filio pigritiori regnum disposuit.*/ Pollemius in civitate Babyloniae regnavit, qui tres filios habebat, quos multum dilexit. Unde per se cogitabat de regno suo disponere. Vocavit tres filios suos coram se et ait: "Quis vestrum est pigritior? Ille regnum meum post decessum meum occupabit." Ait primus: "Domine, ergo mihi debetur regnum, et haec est ratio. Adeo piger sum, quod, quando ad ignem sedeo, prius crus in eo comburi permitto, quam illud retraham ab ignis incendio." Ait secundus filius: "Ego sum aptior ad regnandum; nam cum funem in collo habeam et mox suspendi debeam et gladium in manu teneam, propter magnam pigritiam ad scindendum cordam non porriigo manum meam." Ait tertius: "Domine, ego regnare debeo, quia in pigritia ceteros antecedo. Resupinus enim in lecto iaceo, et stillat super utrumque oculum aqua, et propter summam pigritiam a stratu meo non me remoueo ad partem dextram vel sinistram." Rex cum hoc audisset, ei regnum legavit, reputans eum pigritiorem.

/*Cap. 23. De basilisco et speculo.*/ Alexander regnavit, qui dominium totius mundi obtinuit. Accidit semel, quod grandem exercitum collegit et quandam civitatem obsedit; qui in eodem loco plures milites et alios sine aliquo vulnere amisit. Cum vero de hoc admiraretur, philosophos vocavit et ait eis: "Magistri, quomodo potest hoc esse, quod subito sine vulnere milites mei moriuntur?" At illi: "Mirum non est. Est quidam basiliscus super murum, cuius aspectu milites inficiuntur et moriuntur." Ait Alexander: "Et quale remedium est contra basiliscum?" Cui dixerunt: "Optimum ponatur speculum elevatum intra exercitum et murum, ubi est basiliscus; et cum basiliscus in speculo respexerit, reflexus eius intuitus ad se ipsum redibit, et sic morietur." Et sic factum est.

/*Cap. 24. De tribus militibus occisis.*/ Gracchus regnavit, qui erat inter omnia iustus, nec precibus poterat devinci, quin iustitiam pro loco, pro

tempore exerceret. Accidit semel, quod aliqui apud eum quendam militem accusabant de morte alterius militis in ista forma: "Duo ad quoddam bellum perrexerunt, et nullum bellum erat commissum. Unus, scilicet iste miles, sine altero rediit; et ideo dicimus, quod iste eum per viam occidit." Centurio cum hoc audisset, sententiam dedit, ut miles ad supplicium duceretur. Cum autem ductus fuisset, viderunt illum militem vivum, pro quo fuit adiudicatus. Ambos ad iudicium reduxerunt. Iudex iratus dixit primo militi: "Iubeo te interfici, quia damnatus es." Secundo dixit: "Et te similiter, quia causa mortis istius militis fuisti." Et dixit tertio militi: "Etiam te, quia missus militem occidere non oboedisti."

/*Cap. 25. De uxore militis et serpente.*/ Fulgentius regnavit, in cuius regno erat quidam miles, nomine Studer, qui uxorem pulchram accepit, sed stultam. In cuius domo quidam serpens habitabat in quadam camera. Miles vero torneamenta et hastiludia frequentabat, in tantum quod devenit ad magnam egestatem. Unde flevit amare et quasi de ipso desperatus. Serpens vero videns eius dolorem, data est ei a deo vox et ait: "Cur fles? Fac secundum meum consilium et post factum non paenitebis! Singulis diebus mihi de lacte ministres, et te ditabo." Miles haec audiens ei fideliter hoc adimplere promisit. Statim infra tempus breve ditatus est valde et habebat prolem pulcherrimam et possessiones magnas. Accidit una die, quod uxor sua ei dicebat: "Domine, ut credo, iste serpens multa bona possidet in camera, in qua iacet. Consulo, ut occidatur, et bona omnia obtinebimus." Ille vero ad instinctionem mulieris malleum portabat, ut serpentem occideret, in una manu et lac habebat in vase in altera manu. Cum vero vas lactis serpens videret, extra "cameram caput extendit, ut lac lamberet more consueto. Miles vero grandi ictu ad serpentem percussit; sed serpens caput retraxit, et mallei ictum vas suscepit. Statim cum talis proditio fuisset facta, prolem et omnia bona miles amisit. Ait ei uxor: "Heu mihi, malum consilium tibi dedi! Sed perge modo ad foramen serpentis et humilia te sibi, et forte dabit tibi gratiam iterato bona recuperando!" Perrexit miles ad cameram serpentis et flevit amare, petens gratiam, ut per eum, sicut prius, ad divitias sit relevatus. Ait serpens: "Modo video, quod stultus sis, quia non potest esse, quin ille ictus magnus mallei, quem vas suscepit loco capitis mei, veniret ad memoriam meam; et etiam, quomodo occidi prolem tuam, occurreret tibi, et omnes divitias tibi abstuli, et sic nulla pax stare posset." Ille vero recessit contristatus et semper postea in egestate vixit.

/*Cap. 26. De ciconia adulterata.*/ Quidam miles erat, qui castrum pulcherrimum habebat, in quo cyconiae duae nidificabant. Sub castro erat fons clarus, in quo cyconiae balnari solebant. Accidit, quod femella pullos produxit, masculus vero per terram volabat, ut cibum colligeret. Illo absente femella adulterata est. Statim, antequam masculus veniret, ad fontem descendit, ut se lavaret, ne masculus foetorem adulterii sentiret. Miles cum saepius illud vidisset, admirabatur. Accidit semel, quod, cum fuisset adulterata, miles fontem clausit, ne cyconia balnearetur. Illa vero cum fontem clausum videret, ad nidum reversa est. Masculus veniens, sentiens in ea foetorem adulterii, volavit et infra diem naturalem secum multitudinem cyconiarum duxit, et in praesentia militis cyconiam adulteratam devorabant.

/*Cap. 27. De muliere adulterata.*/ Iustinus in civitate romana regnavit, qui statuit pro lege, quod quicumque aliquam virginem raperet, si aliquis de manu raptoris eam liberare posset, in uxorem eam duceret, si ei placeret. Accidit, quod quidam tyrannus rapuit quandam virginem duxitque ad quandam forestam et deflorabat. Hoc facto volebat eam occidere. Illa vero voce alta clamabat. Miles vero quidam generosus, cum a casu per eandem forestam equitaret et vocem eius audisset, percussit equum cum calcaribus et ad eam venit. Causam clamoris quaesivit. At illa: "O domine mi, propter dei amorem mihi succurrite! Iste me defloravit ac rapuit et, quod peius est, me occidere proponit." Ait raptor: "Domine, uxor mea est et alium fugit propter adulterium; ideo eam occidere volo." Ait miles: "Signa manifesta video, quod eam vi rapuisti ac deflorasti; ideo pro ea contra te pugnare volo." Statim ambo ad invicem pugnabant, diros ictus ad invicem dederunt, sed miles victoriam obtinuit, tamen graviter vulneratus. Obtenta victoria ait miles mulieri: "Numquid tibi placet, quod te in uxorem ducam? Et ego te cum solemnitate desponsabo." quae ait: "Etiam, domine, et super hoc fidem meam do vobis." Fide data ait: "In castro meo per aliquot dies permanebis, quia ad amicos meos pergo et de omnibus necessariis pro nuptiis celebrandis providebo." Quae ait: "Praesto sum per omnia voluntati vestrae subici." Miles ei vale fecit. Illa ad castrum eius perrexit. Dum autem miles extra patriam fuisset, ut convivia praepararet, tyrannus ad castrum militis accessit, in qua puella erat. Pulsabat; illa vero introitum negavit. Tyrannus vero incepit multa promittere et eam in uxorem honorifice ducere. Illa vero dictis eius credens eum introduxit, et ambo nocte illa simul dormierunt. Miles post mensem rediit, ad ianuam castris pulsabat. Puella ei non respondit. Ille haec videns cum cordis amaritudine dixit: "O bona puella, ad memoriam reduc, quomodo te salvavi a morte, et mihi fidem dedisti. Loquere mihi, bona

puella, et ostende mihi faciem tuam!" Illa vero quandam fenestram aperuit et ait: "Ecce ego sum! Iam non proponas, quidquid placet." Qui ait: "Miror de te, quod ignoras, quid et quantum pro te fecerim, cum vulnera diversa pro te acceperim. Si mihi non credis, corpus tibi ostendam." Statim vestimenta deposuit et ait: "Ecce, carissima vulnera diversa, quae recepi pro vita tua! Aperi ergo mihi ianuam, ut te mihi accipiam in sponsam!" Illa vero faciem ab eo avertit et ianuam non aperuit. Miles cum haec audisset, iudici est conquestus et pro se legem allegavit dicens: "Raptam liberans ducat eam, si vult! Ego eam liberavi de morte raptoris; ideo peto eam in uxorem." Iudex haec audiens pro muliere et raptore misit. Qui cum venissent, ait iudex raptori: "Carissime, numquid istam mulierem rapuisti, et iste miles de manibus tuis eam liberavit?" At ille: "Etiam, domine." "Ergo secundum legem pro sua voluntate uxor eius erat. Quare post hoc de uxore alterius te intromisisti, quando castrum eius intrasti?" Ille vero obmutuit. Conversus ad mulierem dixit: "O tu puella, iure duplici uxor istius fuisti; primo quia te de manu raptoris liberavit, secundo quia sibi fidem dedisti. Quare ergo post haec ianuam castris non aperuisti et eum introduxisti?" Illa vero non poterat respondere. Iudex statim sententiam dedit, ut ambo in patibulo suspenderentur. Et sic factum est. Omnes vero iudicem laudabant, qui talem sententiam dedit.

/*Cap. 28. Divisio fratrum ex libera et ex ancilla.*/ Narratur, quod lex fuit, quod frater senior hereditatem divideret et iunior eligeret. Cuius ratio erat, quod maioris discretionis est dividere quam eligere, senior autem discretior esse debet. Alia lex fuit, quod liceret, filium ex ancilla hereditatem portare sicut filii liberi. Contigit ergo duos fratres, unum de libera, alium de ancilla, hereditatem dividere. Frater vero senior sic divisit: ex una parte totam hereditatem posuit et ex alia matrem fratris sui. Frater autem praelegit matrem et hereditatem dimisit sperans de curialitate fratris sui; sed ab eo nihil obtinebat. Adiit iudicem, fratrem accusavit, quod eum ab hereditate exclusisset. Respondit frater suus et dixit, quod non eum decepisset, quia ille, qui eligit, non qui dividit, circumscibit.

/*Cap. 29. De civitate obsessa et curialiter liberata.*/ Quidam princeps erat, nomine Cleoninus, cuius populus in civitate quadam claudebatur obsessus. Volens autem caute populo suo consulere, quid eis utilius expediret, praecepit, ut unus de militibus suis obsidionem accederet, qui obsidentibus insultum praeberet. Ordinavit, quod in telis suis, lanceis et

sagittis artificialiter scriberetur: "Confortamini in domino et estote fideles in obsidione! In proximo Cleoninus venio et obsidionem amovebo."

/*Cap. 30. De principe, qui adversarios toxicavit.* / De quodam principe narratur, qui, cum omnibus viribus suis non posset hostes devincere, fecit hanc cautelam. Simulavit fugam et castra sua cum victualibus hostibus dereliquit. In quibus dolea multa plena vino infecta dimisit per semen cuiusdam herbae, ita quod homo bibens de vino illo statim obdormivit. Scivit etiam hostes esse famelicos et gulosos, qui semper vinum cum gaudio ad votum suum biberent. Statimque quasi semimortui dormire compellebantur. Super quos principes redeuntes omnes ad libitum occiderunt.

/*Cap. 31. De tribus anulis.* / Miles quidam erat, qui tres filios habuit, qui cum mori deberet, primogenito suo dedit hereditatem, secundo filio thesaurum suum, tertio vero filio anulum pretiosum, qui plus valuit quam aliorum duorum possessio. Duobus primis dedit anulos duos non tam pretiosos. Omnes anuli fuerunt eiusdem formae, sed non eiusdem virtutis. Post mortem patris dixit primus filius: "Ego habeo anulum patris mei pretiosum." Secundus dixit: "Et similiter ego." Tertius frater respondit: "Non, inquit, est iustum, quod vos eum habeatis, eo quod senior habet hereditatem, alius thesaurum. Sed ego, ut spero, pretiosum anulum habeo."

/*Cap. 32. De duobus draconibus.* / Narrat Albertus, quod tempore Philippi erat via, quae ducit inter duos montes Armeniae, quae diu erat frequentata. Subito autem accidit nullum transire viam propter infectionem aeris, nisi exspiraret. Unde rex a sapientibus causam huius mali quaesivit, et nullus ex eis respondere poterat. Tandem vocatur Socrates; dixit regi, quod aedificium faceret aequalis altitudinis cum montibus. Quo facto fecit Socrates fieri speculum de calibe planae superficiei politum et mundum, ut ab omni loco montium foret reflexio ad speculum. Quo facto intravit Socrates aedificium et vidit duos dracones, unum ex parte montis, alium ex parte vallis, qui contra se mutuo ora aperiebant et aerem hauserunt. Et dum sic respiceret, quidam iuvenis in equo, qui periculum ignorabat, volens transire per viam illam subito de equo cecidit et mortuus est. Socrates statim ad regem cucurrit et omnia visa regi nuntiavit. Capti sunt dracones et per artem interfecti, et sic via salutis omnibus transeuntibus est facta.

/*Cap. 33. De sarcofago invento.*/ Legitur de quodam imperatore romano construente sibi basilicam optimam. Et fodiens in fundamento palatii invenit sarcofagum aureum tribus circulis aureis circumdatum. Et talis erat superscriptio: "Expendidi, donavi, servavi, habui, habeo, perdididi, punio. Quod expendidi, habui; quod donavi, habeo."

/*Cap. 34. De Argo et vacca cum cornibus aureis.*/ Erat quidam nobilis, qui habebat vaccam candidam, quam miro modo dilexit propter duo; primo quia totaliter candida, secundo quia plus quam aliae III vaccae lac dederat. Nobilis iste prae nimio amore ordinavit pro vacca duo cornua aurea. Deinde intra se cogitabat, cui posset committere vaccam ad custodiendum. Erat ei intimatum, quod erat quidam homo, nomine Argus, qui centum oculos habebat et verax in omnibus erat. Statim nuntium ei misit, ut ad eum cito veniret. Qui cum venisset, ait ei nobilis: "Carissime, ecce vaccam meam cum cornibus aureis tuae custodiae committo. Et si eam bene custodieris cum cornibus, ad magnas divitias te promovebo; si vero cornua fient perdita aut furtive ablata, aut vacca, amen dico tibi, morte morieris." Argus vero vaccam cum cornibus recepit et secum duxit. Singulis diebus ad pascua cum ea perrexit et eam diligenter custodivit. Erat quidam homo cupidus, nomine Mercurius, subtilis valde et praecipue in arte musicali, qui miro modo vaccam cum cornibus cupiebat. Saepius ad Argum veniebat, ut cornua aurea prece vel pretio ab eo obtinere posset. Argus vero tenens in manibus suis baculum pastorem ante se in terram figit et ait baculo in persona domini sui: "Tu es dominus meus. Nocte ista ad castrum tuum venio. Tu mihi dicis: Ubi est vacca cum cornibus? Ego respondeo: Ecce vacca sine cornibus! Me dormiente latro abstulit cornua. Tu dicis: miser, numquid centum oculos habes? Quomodo erat, quod omnes dormierunt et latro cornua abstulit? Hoc est mendacium. Et sic filius mortis sum ego, quia propter diversos oculos vacca cum cornibus erat mihi tradita, ut vigilarem. Istam viam nolo accipere. Si dicam: 'Vendidi vel dedi,' ero proditor et falsus domino meo. Viam istam capere nolo." Dixit Mercurio: "Perge viam tuam, quia nihil a me obtinebis!" Mercurius haec audiens recessit illo die. Sed die altera cum arte musicali et instrumento suo venit. Qui cum venisset, coepit cum Argo fabulas narrare, deinde cantare, cordas cythare percutere, donec Argi oculi dormire coeperunt. Duo post duos dormierunt. Quod cernens Mercurius caput Argi ipso dormiente protinus amputavit et vaccam cum cornibus rapuit et secum duxit.

/*Cap. 35. De fonte et sicca terra.*/ Plinius narrat, quod est quaedam terra, in qua nec ros nec pluvia descendit. Unde maxima est ibi siccitas et defectus aquae. Ibi est tantum unus fons, qui aquam in profundo habet. Unde cum ibidem homines aquam volunt habere, accedunt ad fontem cum omni genere musicorum, quod habent, et circuunt fontem. Dulcem faciunt melodiam. Post melodiam aqua ascendit ad os fontis et fluit in abundancia. Et sic homines aquam capiunt et recedunt.

/*Cap. 36. De eo, qui nomen suum perpetuare voluit.*/ Valerius narrat, quod quidam nobilis sapientem consuluit, quomodo posset nomen suum perpetuare. Respondit, quod si virum illustrem occideret. Quo audito Philippum, Alexandri patrem, occidit, ut nomen acquireret sibi. Sed ille misera morte mortuus est.

/*Cap. 37. De Amone, quem nautae volebant occidere.*/ Refert Agellinus de Amone, qui cum ditissimus esset et transire vellet de uno regno ad aliud, conduxit navem. Sed nautae pro pecunia sua eum occidere volebant. Sed ipse ab eis inpetravit, ut prius canere posset. Ad cuius cantum delphinus, qui in cantu hominum delectatur, eum suscepit et ad terram portavit. Et dum nautae eum mortuum crederent, ipse apud regem eos accusavit, qui coram rege positi vincti sunt et damnati. Ipse vero de angustia liberatus est.

/*Cap. 38. De rege, quem inimici veneno interfecerunt.*/ De quodam rege narratur, quem inimici cogitabant occidere, et quia potens erat rex, veneno perdere voluerunt. Venerunt ad eum aliqui simplici veste, ubi manebat iuxta civitatem, quia ibi erat fons aquae; de quo rex multotiens bibebat, quia ceteros liquores abhorrebat propter infirmitatem. Fontem vero intoxicaverunt undique. Rex vero ignorabat, quod fons fuisset venenatus, bibit, sicut solitus erat, et mortuus est.

/*Cap. 39. De lapide magnete et lapide eamundo.*/ Dicit Isidorus, quod est quidam lapis, qui magnes vocatur, qui ferrum ad se trahit. Sed est alius lapis eamundus. Est de maiori fortitudine. Unde per suam fortitudinem facit ferrum ad eum revertere et magnetem dimittere.

/*Cap. 40. De bestiis.*/ Basilius dicit in hexameron, quod quaedam bestiae sunt ordinatae ad laborandum et non valent ad comedendum, sicut equus, mulus et asinus. Aliae bestiae sunt ordinatae ad comedendum et nihil valent ad laborandum, sicut oves, porci, gallinae, aucae, pavones. Sunt etiam aliae bestiae, quae nihil valent nec ad comedendum, nec ad laborandum, sed ad domum custodiendam, purgandam, ut canes, catti: canes custodiunt, catti purgant.

/*Cap. 41. De rege et milite animalia destruyente.*/ Erat quidam rex potens valde, qui quandam forestam fecerat et eam muro vallavit, in qua diversa genera animalium posuit, in quibus multum delectabatur. Erat quidam miles, qui proditor inventus est. Unde propter sua scelera omnibus possessionibus ac bonis suis privatus est. Ille vero de terra sua expulsus providit sibi IV genera canum et multa retia, ut animalia regis destrueret. Nomina canum haec erant Rycher, Euvilemyn, Hanegif, Ebandyn, Tristuvél, Egloffyn, Beamys, Etenelin. Per istos canes et retia destruxit quasi omnia animalia. De qua destructione contristatus est rex valde.

/*Cap. 42. De rege et dicto Caesare.*/ Legitur in gestis Romanorum, quod erat quidam senex valde princeps Romanorum, nomine Pompeius, qui duxit filiam cuiusdam nobilis, qui Caesar vocabatur. Hi duo convenerant inter se, quod totius orbis dominium suo imperio subiugarent. Accidit, ut Pompeius mitteret Caesarem ad expugnandum plagas diversas, quia iuvenis erat et ipsum decuit laborare; ipse autem tamquam principalis custodiret civitatem romanam et plagas illas. Praefixit tamen sibi certum tempus redeundi sub spatio quinque annorum; quod si non faceret, iure suo perpetuo privaretur. Caesar autem exercitum collegit et ad illas partes perrexit. Inveniens homines bellicosos, quos non potuit in praefixo tempore superare, malens Pompeium offendere quam bellum dimittere ex capite proprio alienavit se aliis quinque annis. Quod graviter portans Pompeius interdixit sibi civitatem romanam, ita quod non auderet ad eum ulterius appropinquare. Caesar autem, finito bello iter arripuit versus Romam. Venit per quandam aquam cum exercitu suo, quae quidem aqua vocabatur Rubicon. Et apparuit ei quaedam imago magna stans in medio aquae et loquebatur ad Caesarem dicens: "Caesar, si venias pro pace romana, liceat tibi usque huc venire; sin autem, non praesumas intrare!" Cui Caesar respondit: "Semper ego militavi et paratus fui omnes labores sustinere pro honore civitatis romanae ampliando et semper volo, diis meis testibus, quos adoro." His dictis imago

disparuit. Post haec statim Caesar percusso dextrario flumen transivit. Sed cum pro transito flumine stetisset, ex alia parte mox ait: "Hic pacem temerataque iura relinquo." Et ab illo die non cessavit Pompeium persequi et, in quantum potuit, destruere nitebatur.

/*Cap. 43. De consuetudine et candela.*/ Narratur, quod antiquitus erat mos Romanis, quod, quando castrum vel civitatem aliquam obsedebant, unam candelam certae mensurae primitus accendebant et, quamdiu candela ardebat, parati erant omnes ad pacem recipere et ad concordiam. Sed postquam candela consumpta fuerat, omnes iustitiae severitatem exercebant in hostes suos, nec cum aliquo, licet omnia bona sua daret, misericordiam facere voluerunt.

/*Cap. 44. De rege expulso.*/ Refert Iustinus, quod cives Lacedemoniae semel conspiraverunt contra regem suum et praevalentes contra eum de civitate sua expulerunt eum et regno. Accidit tunc temporis, quod rex Persarum eandem moliebatur destruere civitatem. Rex autem expulsus civitatem suam quamvis ingratham non potuit non amare. Cum autem explorasset et didicit machinationem regis Persarum contra civitatem suam Lacedemoniam, cogitavit, quomodo posset latenter et prudenter intimare totam machinationem regis Persarum civitati praedictae. Acceptis tabulis nudam scripsit in eis totam machinationem et una cum hoc unam informationem specialem, quomodo possent resistere et defendere civitatem contra eum. Et cum totum scripsisset, quod volebat, superlinivit scripturam suam cera et accepto nuntio fide digno direxit eas ad magistratus civitatis. Sed tabulis receptis et diligenter inspectis nulla littera apparebat, sed tantummodo cera plana. Quaestio facta est de tabulis in communi, ut unusquisque diceret imaginationem suam, quid esset de tabulis faciendum; sed non est inventus, qui earum posset aperire intellectum. Accidit autem, quod soror dicti regis audita perplexitate istarum tabularum petiit a magistratu, ut posset eas videre. Quibus prudenter inspectis coepit calliditate feminea parum de cera elevare, statimque apparuit littera occultata. Cumque plus de cera elevasset, plus de littera apparebat. Sicque tota cera deleta legi poterat, quidquid erat ei scriptum. Et sic erat civitas liberata.

/*Cap. 45. Contra potentes.*/ Narrat Augustinus, quod Egyptii olim volebant deificare Isidem et Serapem. Isto modo processerunt. Primo legem

sanxerunt, quod quicumque diceret eos esse homines vel aliquid de eorum genealogiae narraret, capite plecteretur. Statimque duas imagines statuerunt. Secundo, ut lex praedicta nullum lateret, in omni templo, ubi eorum imagines colebantur, semper iuxta eas ponebatur unum parvum idolum habens digitum suum labiis applicatum, ut per hoc faceret signum silentii ingredientibus illa templi (sic), ut sic ab omnibus veritas taceretur.

/*Cap. 46. De hereditate.*/ Narratur, quod erat quidam rex Medorum, qui unicum filium habuit heredem. Filius deliquit in patrem; pater eum fugavit. Hoc facto filius fugit ad regem Persarum, inimicum et aemulum patris sui, et iuravit ei, quod teneret cum eo paratus ad mortem pro eo et, si necessitas hoc requireret, contra patrem suum proprium. Tandem ortum est bellum inter dictos reges. Proelium aggrediunt, et ex assensu mutuo duo reges soli simul pugnaverunt. Accidit, ut rex Medorum vulneraretur, graviter usque ad sanguinis effusionem. Quod videns filius eius considerans, quod sanguis proprius effunderetur, statim accurrit ad patrem et pugnavit pro eo contra dominum suum et vicit eum. Hoc facto dominus suus reliquit eum, quia non tenuit pactum. Et ipse tunc rediit ad patrem suum et veniam petivit. Et sic pax est reformata et hereditas sibi restituta.

/*Cap. 47. De toxicatione.*/ Refert Augustinus, quod moris erat antiquitus, quod corda imperatorum post mortem eorum comburerentur et cineres in eminentiori loco locari deberent. Contigit autem, quod quidam moriebatur, cuius cor non potuit concremari. Multis autem super hoc mirantibus, omnes rhetores et sapientes illius provinciae citaverunt, et ab eis causam inquirentibus tandem dixerunt, quod imperator ille fuisset intoxicatus et propter latens venenum accendi non potuit cor illius. Tunc illi extrahentes cor illius de igne apposuerunt thyriacum sicque venenum fugaverunt. Et cum iterum cor ad ignem poneretur, mox in cineres est redactum.

/*Cap. 48. De mage et mundo.*/ Narratur de quodam mago, qui habuit quendam ortum pulcherrimum, in quo tot erant flores redolentes, tot fructus suaves, tot divitiae et deliciae, quod delectabile fuit ibi esse. Hunc locum nunquam volebat ostendere nisi fatuis et inimicis suis. Et cum essent introducti, viderunt tot et tanta gaudia, quod admirabantur. Quaesierunt, ubi essent; responsum est eis, quod in paradiso.

/*Cap. 49. De obtentu misericordiae.*/ Narrat Eusebius in chronicis de quodam imperatore, qui populum romanum in maxima aequitate rexit nulli parcens, tam divitibus quam pauperibus. Senatores romani propter hoc eum imperio privaverunt et tamquam pauperem fugere compulerunt. Ille statim accessit ad Constantinum et cum eo stetit itaque sapienter et tam strenue habuit, quod post eum electus fuit in imperatorem. Qui congregato exercitu Romam obsedit. Et cum Romani evadere non possent, quin ab eo caperentur, inuito consilio primo miserunt ad eum seniores civitatis, qui nudis pedibus et distincti coram eo se prostraverunt misericordiam petentes. Qui cum obtinere non possent, iuvenes eorum miserunt. Nec illi expedire potuerunt. Tertio mulieres; et non valuerunt. Ultimo sibi miserunt parentes suos, quos habuit in civitate simplices. Inter quos mater eius affuit, quae denudans pectus ostendit ei ubera, quae suxerat, ventrem, in quo iacuerat, pectus, ad quod caput inclinaverat. Quod cum videret imperator, naturali amore compatiens totaliter offensam remisit.

/*Cap. 50. De vidua et tyranno et tribus regibus.*/ Quaedam domina erat nobilis, quae patiebatur multas iniurias a quodam tyranno, qui vastavit eius tenentia et terram. Illa vero cottidie lacrimas emisit et in amaritudine posita est. Accidit, quod venit quidam peregrinus iuxta eam, ubi manebat: vidensque eius desolationem pietate motus bellum pro ea dedit eo pacto, quod, si in bello moreretur, baculum eius et peram privatim in camera sua custodiret, ut eius memoriam haberet et sibi grata esset. Peregrinus vero ad bellum acceptans tyrannum devicit et ipse in proelio vulneratus occisus est. Quo audito domina fecit, quod promisit. Sed postea venerunt ad istam dominam tres reges eam in uxorem petentes. Ista intra se cogitabat: "Forte isti tres reges cameram meam volunt intrare. Verecundum erit mihi, quod ibi videbunt baculum peregrini et peram." Quae iussit ea amovere nec ibi ultra comparere. Sic pacti sui oblita et ingrata facta est.

/*Cap. 53. De bonis rectoribus non mutandis (53)*/ Valerius Maximus refert, quod, cum omnes Syracusani mortem Dionysii optarent regis Siciliae, quaedam femina senectutis ultimae sola matutinis horis deos oravit, ut sibi rex superstes fieret in hanc vitam, cuius orationis causam Dionysius admirans ab ea quaesivit. Quae respondit: "Cum essem puella, gravem tyrannum habens eo carere cupiens secundum recepi, quo iterum carere cupiens tertium recepi; timens ergo deteriores tibi succedere ideo pro vita tua omni die rogo." Dionysius haec audiens amplius molestiam non fecit.

/*Cap. 57. De perfectione vitae (57)*/ Titus in civitate Romana regnavit; qui statuit pro lege, quod dies primogeniti sui ab omnibus sanctificaretur, et quicumque diem nativitatis filii sui per opus servile violaret, morte moreretur. Promulgata lege vocavit magistrum Virgilium et ait: "Carissime, talem legem edidi; verumtamen saepe in occulto poterunt peccata committi, ad quorum notitiam pervenire non potero. Rogamus ergo te, ut secundum industriam tuam aliquam artem invenias, per quam potero experiri, quales sint illi, qui contra legem delinquant." Ait ille: "Domine, fiat voluntas vestra." Statim Virgilius arte magica statuam in medio civitatis fieri fecit. Statua illa omnia peccata occulta in illo die commissa imperatori dicere solebat, et sic per accusationem statuae quasi infiniti homines erant condemnati. Erat tunc quidam faber in civitate nomine Focus, qui in illo die sicut in ceteris operatus est. Cum autem semel in stratu suo iacuisset, intime cogitavit, quomodo per accusationem statuae multi moriebantur. Mane surrexit et ad statuam perrexit et ait: "O statua, statua, per tuam accusationem multi sunt positi ad mortem. Voveo deo meo, si me accusaveris, caput tuum frangam." His dictis domum perrexit. Hora prima imperator, sicut solitus erat, nuntios suos ad statuam destinavit, ut ab ea quaerent, si aliquis contra legem commisisset. Cum autem ad statuam venissent et voluntatem imperatoris dixissent, ait statua: "Carissimi, levate oculos vestros et videte, quae scripta sunt in fronte mea." Illi vero cum oculos levassent, tria in fronte eius clare viderunt, scilicet: `Tempora mutantur, homines deteriorantur, qui voluerit veritatem dicere, caput fractum habebit.' "Ite, domino vestro nuntiate, quae vidistis et legistis." Nuntii perrexerunt et omnia domino suo rettulerunt. Imperator cum hoc audisset, praecepit militibus suis, ut se armarent et ad statuam pergerent, et si aliquis contra statuam aliquid faceret, eum ligatis manibus et pedibus ad eum ducerent. Milites ad statuam perrexerunt dicentes: "Placet imperatori, ut ostendatis illos, qui contra legem commiserunt, et quales erant illi, qui minas fecerunt." Ait statua: "Focum fabrum accipite! Ille est, qui in singulis diebus legem violat et mihi minas facit." Illum comprehenderunt et coram imperatore duxerunt. Ait imperator: "Carissime, quid est, quod audio de te? Quare legem editam violas?" Ait ille: "Domine, legem illam servare non possum, quia omni die octo denarios oportet me habere, et illos sine labore non potero acquirere." Ait imperator: "Et quare octo denarios?" Qui ait: "Omni die per annum duos denarios teneor dare, quos mutuavi in iuventute, duos accomodo, duos perdo, duos expendo." Ait imperator: "De istis manifestius debes mihi dicere." Cui ait faber: "Domine mi, advertite me! Duos denarios omni die teneor patri meo, quia, cum essem puer parvulus,

pater meus duos denarios super me singulis diebus expendit, iam pater meus in egestate est positus, unde ratio dictat, quod ei subveniam in sua paupertate, et ideo omni die duos denarios ei trado; duos alios denarios filio meo accommodo, qui iam ad studium pergat, ut, si contingat me ad egestatem pervenire, mihi illos duos denarios reddat, sicut ego iam patri meo facio; duos alios denarios omni die perdo super uxorem meam, quia semper est mihi contraria, aut propriae voluntatis aut callidae complectionis, et propter ista tria quicquid ei dedero, hoc perdo; duos alios denarios super me ipsum in cibis et potibus expendo. Levius bono modo transire non potero et istos denarios non possum obtinere sine continuo labore. Iam audistis rationem. Detis ergo iudicium rectum!" Ait imperator: "Carissime, recte respondisti, vade et fideliter amodo labora!" Post hoc cito imperator defunctus est, et Focus faber propter suam prudentiam in imperatorem eligitur ab omnibus, qui imperium satis prudenter regebat. Ipso mortuo inter alios imperatores imago eius depingitur et ultra caput suum octo denarii.

/*Cap. 59. De superbia nimia, et quomodo superbi ad humilitatem maximam saepe perveniunt; satis notabile (59)*/ Iovinianus imperator regnavit potens valde; qui cum semel in stratu suo iacuisset, exaltatum est cor eius ultra quam credi potest, et in corde suo dixit: "Estne aliquis alius deus quam ego?" His cogitatis somnum cepit. Mane vero surrexit et vocavit milites suos et ait: "Carissimi, bonum est cibum sumere, quia hodie ad venandum pergere volo." Illi vero parati erant eius voluntatem adimplere. Cibo sumpto ad venandum perrexerunt. Dum vero imperator equitasset, calor intolerabilis eum invasit, in tantum, quod videbatur ei, quod moreretur, nisi in aqua frigida balneari posset. Respexit a longe et aquam latam vidit, dixit suis militibus: "Hic remaneatis, quousque fuero liberatus." cum calcaribus percussit, ad aquam festinanter equitabat, de equo descendit, omnia vestimenta deposuit, aquam intravit et tamdiu ibi remansit, quousque totaliter refrigeratus esset. Dum ibidem exspectasset, venit quidam homo ei per omnia similis in vultu et gestu et induit se vestimentis eius, dextrarium eius ascendit et ad milites equitavit, ab omnibus sicut persona imperatoris est receptus. Finito ludo ad palatium cum militibus perrexit. Post haec cito Iovinianus de aqua exivit, vestes nec equum invenit. Admirabatur et tristatus est valde, quia nudus erat et neminem vidit. Cogitavit inter se: "Quid faciam? Ego miserabiliter sum ministratus." Tandem ad se reversus dicebat: "Hic prope manet unus miles, quem ad militiam promovi. Ad eum pergam, vestes et equum acquiram et sic ad palatium meum ascendam et videbo, quomodo et per quem sum confusus." Iovinianus totaliter nudus ad castrum militis perrexit, ad ianuam pulsavit, ianitor autem causam pulsationis

quaesivit. Ait Iovinianus: "Ianuam aperite, et qualis ego sum, videte!" Ille vero ianuam aperuit et cum eum vidisset, obstupuit et ait: "Qualis es tu?" At ille: "Iovinianus sum imperator, vade ad dominum tuum et dic ei, ut mihi vestes accommodet, quia vestes et equum perdidit." Qui ait: "Mentiris, pessime ribalde! Iam ante adventum tuum dominus imperator Iovinianus ad palatium suum cum militibus suis transivit, et dominus meus secum perrexit et rediit et iam in mensa sedet. Sed quia imperatorem te nominasti, domino meo nuntiabo." Ianitor intravit et domino suo verba eius rettulit. Ille hoc audiens praecepit, ut introduceretur, et sic factum est. Miles cum vidisset, notitiam eius non habebat, sed imperator peroptime eum cognovit. Ait ei miles: "Dic mihi, qualis es, et quod est nomen tuum?" Qui respondit: "Ego sum imperator Iovinianus, et ego te ad militiam promovi tali tempore." Ait ille: "O ribalde pessime, qua audacia audes te ipsum imperatorem nominare! Iam dominus meus imperator ante te ad palatium equitavit, et ego per viam ei associatus eram et iam sum reversus. Et quia te ipsum imperatorem nominasti, impune non transibis." Fecit eum egregie verberari et postea expelli. Ille vero sic flagellatus et expulsus flevit amare et ait: "O deus meus, quid hoc esse poterit, quod miles, quem ad militiam promovi, notitiam mei non habet, et cum hoc graviter me flagellavit!" Cogitavit autem apud se: "Prope est quidam dux consiliarius meus, ad eum pergam et necessitatem ei ostendam, per quem potero indui et ad palatium meum reverti." Cum vero ad ianuam ducis venisset, pulsavit. Ianitor audiens pulsationem ianuam aperuit, et cum hominem nudum vidisset, admirabatur et aiebat: "Carissime, qualis es tu, et quare sic totaliter nudus venisti?" Et ille: "Ego sum imperator, a casu equum et vestimenta perdidit et ideo ad ducem veni, ut mihi in hac necessitate succurrat. Ideo te rogo, ut negotium meum coram domino tuo facias." Ianitor cum verba eius audisset, admirabatur, aulam intravit et domino suo omnia rettulit. Ait dux: "Introducatur." Cum introductus fuisset, nullus notitiam eius habebat, et dux ad illum: "Qualis es tu?" Et ille: "Imperator sum ego et te ad divitias et honores promovi, quando te ducem feci et consiliarium meum te constitui." Ait dux: "Insane miser! Perrexi parum ante cum domino meo imperatore versus palatium et reversus sum, et quia talem honorem tibi appropriasti, impune non transibis." Confecit eum in carcerem includi et pane et aqua sustentari. Deinde ex carcere extraxit et egregie verberari et a tota terra post hoc eici fecit. Ille sic eiectus ultra quam credi poterit gemuit et suspiria emittebat et intra se dixit: "Heu mihi, quid faciam, quia factus sum opprobrium omnium et abiectio plebis? Melius est mihi ad palatium meum pergere et mei de palatio meo notitiam habebunt; saltem si non, uxor mea notitiam meam habebit per certa signa." Solus ad palatium accessit, ad ianuam pulsavit, audita pulsatione ianitor ianuam

aperuit. Quem cum vidisset, dixit: "Dic mihi, qualis es tu?" Et ille: "Miror de te, quia non novisti me, quia per tot tempora mecum fuisti." Qui ait: "Mentiris; cum domino imperatore diu steti." Et ille: "Ego sum ille, et si dictis non credis, rogo te dei amore, ut ad imperatricem accedas, et per ista signa illa mihi vestes imperiales per te mittet, quia a casu perdidit omnia. Ista signa, quae per te ei mitto, nullus nisi nos duo novit sub caelo." Ait ianitor: "Non dubito, quin insanus sis, quia iam dominus meus imperator in mensa sedet et iuxta eum imperatrix; verumtamen ex quo dicis te imperatorem esse, imperatrici intimabo, et certus sum, quod graviter punieris." Ianitor ad imperatricem perrexit et omnia audita ei intimavit. Illa non modicum contristata ad dominum suum conversa est et ait: "O domine mi, audite mirabilia! Signa privata inter nos saepius acta unus ribaldus in porta mihi per ianitorem recitat et dicit se imperatorem et dominum meum esse." Ipse cum hoc audisset, praecepit ianitori, ut introduceretur in conspectu omnium. Qui cum taliter nudus introductus fuisset, canis quidam, qui antea multum eum dilexerat, ad guttur suum saltabat, ut eum occideret, sed per familiam impeditus est, sic quod nullum ab eo accepit malum. Item quendam falconem habebat in pertica, qui cum eum vidisset, ligaturam fregit et extra aulam advolavit. Ait imperator omnibus in aula sedentibus: "Carissimi, audite verba mea, quae de isto ribaldo dicam! Dic mihi, qualis es tu et ob quam causam venisti?" At ille: "O domine, ista est mirabilis quaestio, imperator sum et dominus istius loci." Ait imperator omnibus sedentibus in mensa et circumstantibus: "Dicite mihi per iuramentum vestrum, quod mihi fecistis, quis nostrum imperator est et dominus?" Aiunt illi: "O domine, leviter respondemus per iuramentum, quod vobis fecimus, istum ribaldum numquam vidimus, sed vos estis dominus noster et imperator, quem a iuventute novimus, et ideo rogamus una voce, ut puniatur, ut omnes exemplum ab eo capiant et de tali praesumptione se non attemptent." Imperator ille conversus ad imperatricem ait: "Dic, domina, mihi per fidem, qua teneris, nosti tu istum hominem, qui se dicit imperatorem et dominum tuum esse?" At illa: "O bone domine, cur talia a me quaeris? Nonne plus quam XXVI annis in societate tua steti et prolem per te genui? Sed unum est, quod miror, quomodo iste ribaldus pervenit ad nostra secreta inter nos perpetrata." Imperator ille dixit illi, qui introductus fuerat: "Carissime, quare ausus fuisti te ipsum imperatorem nominare? Damus pro iudicio, ut ad caudam equi hodie sis tractus et si iterum sis ausus hoc dicere, te condemnabo morte turpissima." Vocavit satellites suos et ait: "Ite et istum ad caudam equi trahite, sed nolite eum occidere!" Et sic factum est. Post haec vero ultra quam credi potest commota sunt omnia interiora eius et quasi de se ipso desperatus dicebat: "Pereat dies, in qua natus sum! Amici a me

recesserunt, uxor mea et filii mei non noverunt me." Dum hoc dixisset, cogitabat: "Hic prope manet confessor meus, pergam ad ipsum. Forte ipse notitiam meam habebit, quia saepius confessionem meam audivit." Perrexit ad eremitam, ad fenestram cellulae suae pulsavit. At ille: "Quis ibi est?" Et ille: "Ego sum imperator Iovinianus, fenestram aperias, ut loquar tecum!" Ille vero cum vocem eius audisset, fenestram aperuit; cum eum vidisset, cum impetu fenestram clausit et ait: "Discede a me, maledicte, tu non es imperator, sed diabolus in forma hominis." Ille hoc audiens ad terram prae dolore cecidit, crines capitis ac barbae dilaceravit et dixit: "Heu mihi, quid faciam ego!" His dictis recordatus fuit, quod in stratu suo exaltatum fuit cor eius dicens "Estne deus alter praeter me?" Statim ad fenestram eremite pulsabat et dixit: "Amore illius, qui pependit in cruce, confessionem meam audite fenestra clausa!" At ille: "Mihi bene placet." Qui de tota vita sua cum lacrimis est confessus et praecipue, quomodo contra deum se erexit dicens, quod non credidit alium deum esse quam se ipsum. Facta confessione et absolute eremita fenestram eius aperuit et notitiam eius habebat et ait: "Benedictus altissimus, iam novi vos. Paucas vestes hic habeo, induas te et ad palatium perge, et, ut spero, notitiam tuam habebunt." Imperator induit se, ad palatium suum perrexit, ad ianuam pulsabat, ianitor ostium aperuit et eum satis honorifice recepit. At ille: "Numquid notitiam meam habes?" Qui ait: "Etiam, domine peroptime, sed admiror, quod per totum diem hic steti et vos exire non vidi." Ille vero aulam intravit, omnes eum videntes capita inclinabant. Alius imperator erat cum domina in camera. Quidam miles exiens de camera eum intime aspexit et post haec in cameram reversus ait: "Domine mi, est quidam in aula, cui omnes capita inclinant et honorem faciunt, qui vobis in omnibus assimilatur, in tantum, quod, quis vestrum est imperator, penitus ignoro." Imperator ille hoc audiens ait imperatrici: "Exeas et videas, si eius notitiam habeas." Illa vero foras perrexit, et cum eum vidisset, admirabatur, statim cameram intravit et ait: "O domine, vobis unum denuntio, quod, quis vestrum est dominus meus, penitus ignoro." At ille: "Ex quo sic est, foris pergam et veritatem excutiam." Cum autem aulam intrasset, eum per manum cepit et iuxta eum stare fecit, vocavit omnes nobiles in aula existentes cum imperatrice et ait: "Per iuramentum, quod mihi fecistis, dicite, quis nostrum est imperator?" Imperatrix primo respondit: "Domine mi, mihi incumbit primo respondere; testis est mihi deus in caelis, quis vestrum est dominus meus, penitus ignoro." Et sic omnes dixerunt. At ille: "Carissimi, audite me! Iste homo est imperator vester et dominus. Nam aliquo tempore contra deum se erexit; propter quod peccatum deus eum flagellavit et hominis notitia ab eo recessit, quousque satisfactionem deo fecit; ego sum angelus eius, custos animae suae, qui imperium custodivi,

quamdiu fuit in paenitentia. Iam eius paenitentia est completa et pro peccatis satisfecit, amodo ei sitis oboedientes, ad deum vos recommendo." Statim ab oculis eorum disparuit. Imperator vero deo gratias reddidit et toto tempore vitae suae in bona pace vixit et spiritum deo reddidit.

/*Cap. De praemeditatione semper habenda (61)*/

Claudius regnavit, qui unicam filiam habebat gratiosam et decoram valde; qui cum semel in stratu suo iacuisset, intime de filia sua cogitabat, quomodo eam promovere posset. Ait intra se: "Si eam in uxorem diviti stulto tradidero, filiam meam perdam, si vero pauperi sapienti, per eius sapientiam ei necessaria large acquirat." Erat tunc in civitate quidam philosophus nomine Socrates, quem rex dilexerat, vocavit eum et ait: "Carissime, numquid tibi placet filiam meam in coniugem accipere?" Et ille: "Etiam, domine peroptime." Et ille: "Ex quo ita est, dabo tibi eam et sub illa condicione, quod, si moriatur filia in tua societate, vitam tuam amittes. Eliges ergo eam accipere vel dimittere?" Et ille: "Mihi bene placet eam accipere sub ista condicione." Rex nuptias celebravit cum magna solemnitate. Per quaedam tempora vitam duxerunt in quiete et sanitate perfecta, post hoc uxor Socratis usque ad mortem infirmabatur. Haec audiens Socrates contristatus est valde, quandam forestam intravit et flevit amare. Dum sic esset in dolore, rex Alexander in eadem foresta venabatur. Miles quidam Alexandri Socratem vidit, ad eum equitabat et ait ei: "Carissime, cuius homo es?" Et ille: "Homo talis domini sum ego, quod servus domini mei est dominus domini tui." Ait miles: "Non est maior domino meo in toto mundo; sed ex quo talia dicis, ducam te ad dominum meum et audiemus, quis est dominus tuus, de quo tot et tanta praesumis." Cum autem coram rege Alexandro ductus fuisset, ait ei rex: "Carissime, quis est dominus tuus, de quo talia dicis, quod servus eius est dominus meus?" Ait ille: "Dominus meus est ratio, servus eius voluntas, sic est ergo, quod tu per voluntatem tuam regnum tuum et non per rationem huc usque gubernasti. Ideo servus domini mei, hoc est voluntas, est dominus tuus." Audiens haec Alexander ait: "Carissime, prudenter respondisti, vade in pace!" Ab illa die coepit rex regnum suum ratione gubernare et non voluntate. Socrates vero solus forestam intravit et flevit amare pro sua coniuge. Senex quidam venit ad eum et ait: "O bone magister, ob quam rem affligitur anima tua?" Et ille: "Filiam regis sub tali condicione desponsavi, quod, quocumque tempore ipsa in societate mea moriatur, ego vitam meam amittam, et iam ad mortem infirmatur, et haec est causa doloris mei." Ait senex: "Fac consilium meum et post factum non paenitebis. Uxor tua est de sanguine regum; cum rex minutus fuerit, uxor tua pectus et ubera liniat de

sanguine patris sui, deinde in ista foresta tres herbas invenies, de una ei potionem facies, de aliis duabus unum emplastrum ponas, ubi dolorem sentit, et si istam doctrinam impleverit, sanitatem perfectam inveniet." Socrates omnia implevit et uxor ab omni infirmitate convaluit. Rex vero cum audisset, quod Socrates tam sollicite pro infirmitate filiae suae laborabat, eum ad magnas divitias et honores promovit.

/*Cap. De pulchritudine fidelis animae (62)*/

Caius regnavit prudens valde; in eius regno mulier quaedam erat nomine Florentina miro modo pulchra et gratiosa, unde tanta pulchritudo erat in ea, quod tres reges eam obsidebant et a quolibet rege erat violata. Post haec inter reges propter nimium amorem commissum est bellum et quasi infiniti homines ex omni parte occubuerunt. Satrapae imperii haec audientes omnes ad regem venerunt dicentes: "Domine, illa Florentina in regno tuo est tam pulchra, quod quasi infiniti cottidie pro eius amore occiduntur, et nisi citius remedium apponatur, quotquot sunt in regno, peribunt." Audiens haec rex litteras scribi fecerat anulo suo signatas, quod sine ulteriori dilatione illa ad eum veniret. Praeco cum litteris ad eam perrexit, et antequam ad eam pervenit, defuncta est. Rediit praeco, de morte Florentinae regi nuntiavit. Rex contristatus est valde, quod eam videre non poterat in sua pulchritudine, et omnes pictores regni ad eum convocari fecit. Cum autem venissent, ait rex: "Carissimi, haec est causa, quare pro vobis misi: Erat quaedam mulier nomine Florentina in tanta pulchritudine, quod quasi infiniti occubuerunt pro eius amore; defuncta est et eam non vidi. Ite ergo et cum omni industria vestra imaginem eius depingite cum sua pulchritudine, per quam potero discernere, quomodo tot occubuerunt pro eius amore." At illi: "Domine, rem difficilem vos quaeritis; tanta erat in ea pulchritudo et decentia, quod omnes pictores orbis imaginem eius non depingerent quantum ad omnia, excepto uno pictore, qui latet in montibus. Ille solus est et non alius, qui voluntatem vestram adimplere poterit." Haec audiens rex pro illo pictore destinavit. Qui cum ad eum venisset, ait ei: "Carissime, de tua industria informati sumus, ite et imaginem Florentinae per omnia depingite in sua pulchritudine et condignam mercedem dabo tibi." At ille: "Rem difficilem quaeritis, verumtamen mihi concede, ut in conspectu meo omnes pulchras mulieres totius regni saltem per unam horam habeam, et faciam, quod vobis placebit." Rex vero fecit omnes convocari et in conspectu eius stare. Pictor quattuor pulchriores ex eis elegit et alias licentiavit, ut ad patriam suam redirent. Pictor ille cum rubeo colore imaginem eius incepit depingere, et quae illarum quattuor mulierum habebat magis faciem gratiosam aut nasum, et sic de ceteris membris, hoc in imagine posuit, ita quod ex qualibet muliere

aliquam partem accepit et imaginem complevit. Cum vero completa fuisset imago, venit rex, ut eam videret. Quam cum vidisset, ait: "O Florentina, Florentina, si vixisses, ultra omnes istum pictorem deberes diligere, qui depinxit te in tanta pulchritudine."

/*Cap. De mirabili divina dispensatione et ortu beati Gregorii papae (81)*/

Marcus regnavit prudens valde. Qui tantum unicum filium et filiam habebat, quos multum dilexit. Cum vero ad senectutem pervenisset, infirmitas gravis eum apprehendit; qui cum vidisset, quod vivere non posset, fecit vocari omnes satrapas imperii et ait: "Carissimi, scire debetis, quod hodie spiritum deo debeo reddere; non habeo tantum periculum in anima mea, sicut de filia mea, quod eam matrimonio non tradidi, et ideo tu, fili, qui es heres meus, tibi praecipio sub mea benedictione, ut eam maritari facias tam honorifice, sicut decet, et medio tempore sicut te ipsum omni die eam in honore habeas." His dictis vertit se ad parietem et spiritum emisit. De cuius morte planctus magnus factus est in civitate et satis honorifice eum sepulturae tradiderunt. Post hoc vero filius satis prudenter incepit regnare, sororem suam in omni honore habere, quam miro modo dilexit in tantum, quod omni die, licet nobiles secum essent in mensa, in una cathedra ex opposito eius sedebat et adinvicem comedebant et in eadem camera in lectis separatis iacebant. Accidit una nocte, quod temptatio gravis eum accepit, quod ei videbatur spiritum emittere, nisi cum sorore sua libidinem suam posset implere. De lecto surrexit et ad sororem suam perrexit, quam dormientem invenit et excitavit eam. Illa sic excitata ait: "O domine, ad quid venisti ista hora?" Qui respondit: "Nisi tecum dormiam, amitto vitam meam." Quae ait: "Absit a me tale peccatum perpetrare! Ad memoriam reducite, quomodo pater noster te oneravit sub benedictione ante mortem suam, quod me haberes in omni honore! Si tale peccatum perpetrare, offensionem dei non evaderes nec hominum confusionem." At ille: "Quomodocumque fiat, voluntatem meam adimplebo." Dormivit cum ea. Hoc facto ad proprium stratum rediit, puella vero amare flevit et consolari nolebat, imperator vero, quantum potuit, solacium ei praebebat, et miro modo magis ac magis eum dilexit. Post hoc vero circa dimidium annum illa in cathedra sedebat in mensa, et frater eius eam intime aspexit et ait: "Carissima, quid tibi est? Iam facies tua est mutata in colore et oculi tui in nigredinem mutantur." At illa: "Mirum non est, quia sum impraegnata et per consequens confusa." Ille hoc audiens ultra quam credi potest contristatus est; flevit amare et ait: "Pereat dies, in quo natus sum, et quid faciam ego, penitus ignoro." Quae ait: "Domine, fac consilium meum et post factum non paenitebis; nos non sumus

primi, qui graviter deum offenderunt. Hic prope est unus miles senex consiliarius patris nostri, de cuius consilio pater noster semper est operatus. Vocetur ille et sub sigillo confessionis omnia ei dicemus. Ille vero utile consilium dabit nobis et quod satisfaciemus deo et opprobrium mundanum evadere poterimus." Ait rex: "Mihi bene placet, sed primo studeamus deo reconciliari!" Confessi sunt ambo corde puro cum contritione magna. Facta confessione miserunt pro milite et totum private cum fletu rettulerunt. At ille: "Domine, ex quo estis deo reconciliati, audite consilium meum, ut confusionem mundanam evadere possitis. Pro peccatis vestris ac patris vestri terram sanctam debetis visitare et tali die omnes satrapas regni vestri in praesentia tua convocare, deinde haec verba per ordinem dicere: 'Carissimi, terram sanctam visitare volo; nullum heredem praeter sororem unam habeo, sicut scitis, cui in absentia mea sicut corpori meo debetis oboedire', et post hoc mihi coram omnibus dicere: 'Et tibi, carissime, dico sub poena vitae tuae, ut sororis meae custodiam habeas.' Ego vero tam private et secure custodiam, quod nullus tempore partus nec ante nec post de casu vestro sciet, nec etiam uxor mea." Ait rex: "Bonum est consilium; omnia adimplebo, quae mihi dicitis." Statim fecit omnes satrapas convenire et omnia a principio usque ad finem, sicut superius est scriptum, consilium militis adimplevit. Cum omnia verba consumasset, vale omnibus fecit, ad terram sanctam perrexit, miles vero dominam sororem regis ad castrum suum duxit. Cum autem uxor militis hoc vidisset, domino suo occurrit et ait: "Domine mi reverende, qualis domina ista est?" Qui ait: "Domina nostra soror regis est. Iura mihi per deum omnipotentem sub poena vitae tuae, ut, quicquam tibi dixero, omnia habebis in secreto." At illa: "Domine, praesto sum." Cum autem iurasset, ait miles: "Domina nostra per dominum nostrum regem est impraegnata; quare tibi praecipio, ut nulla creatura ministret ei excepta tua persona, ita ut principium, medium et finis omnia sint secreta." At illa: "Domine, omnia ista fideliter adimplebo." Domina ad cameram privatam est introducta et satis splendide ei ministrabatur. Cum tempus pariendi esset, filium formosum peperit. Miles cum hoc audisset, ait dominae: "O domina carissima, bonum est ac utile sacerdotem vocari, ut puerum baptizet." Quae ait: "Deo meo voveo, quo ille, qui est inter fratrem et sororem genitus, per me baptismum non habebit." Ait miles: "Scitis, grave peccatum est inter vos et dominum meum commissum; nolite propter hoc animam pueri occidere." Ait domina: "Votum vovi, quod firmiter tenebo; sed tibi praecipio, ut dolium vacuum mihi apportes." Qui ait: "Praesto sum." Dolium secum ad cameram portari fecit, illa vero decenter puerum in cunabulo reclinavit et in parvis tabellis haec, quae sequuntur, scripsit: 'Carissimi, scire debetis, quod puer iste non est baptizatus, quia inter fratrem

et sororem genitus est; ideo propter dei amorem baptizetur, et sub capite eius pondus auri invenietis, cum quo ipsum nutriris faciatis, et ad pedes argenti pondus, cum quo studium exercent.' Cum omnia ista erant scripta, tabellas in cunabulo sub latere pueri ponebat, aurum sub capite, argentum ad pedes. Deinde cum pannis sericis ac deauratis cunabulum cooperuit. Hoc facto militi praecepit, ut cunabulum infra dolium poneret et in mari proiceret, ut nataret, ubicumque deus disponeret. Miles vero omnia adimplevit. Cum dolium proiectum in mari fuisset, miles tamdiu iuxta mare stetit, quamdiu dolium natate videret; hoc facto ad dominam rediit. Sed cum iuxta castrum suum venisset, nuntius regis de terra sancta ei obviabat; ait ei: "Carissime, unde venis?" Qui ait: "De terra sancta venio." "Et quales rumores habetis?" Et ille: "Dominus meus rex mortuus est et corpus suum ad unum de castris suis est ductum." Miles hoc audiens flevit amare. Uxor eius superveniens cum de morte imperatoris audisset, ultra quam credi potest dolebat. Miles surrexit et ait uxori suae: "Nolito flere, ne domina nostra percipiat. Nihil ei dicemus, quousque a puerperio resurgat." Miles post hos sermones ad dominam intravit. Uxor eius sequebatur eum. Cum domina eos respexisset et eos desolatos perpendit, ait: "Carissimi, propter quam causam estis tristes?" At illa: "Domina, non sumus tristes, sed potius gaudentes, quod liberata estis a gravi periculo, in quo fuistis." At illa: "Ita non est. Indicate mihi, nolite aliquid celare a me sive bonum sive malum!" Ait miles: "Quidam nuntius de terra sancta venit de domino nostro, rege fratre vestro, qui narrat rumores." Quae ait: "Vocetur nuntius!" Qui cum venisset, ait ei domina: "Quomodo est de domino meo?" Qui respondit: "Dominus vester mortuus est et eius corpus de terra sancta translatum est ad castrum suum, et cum patre vestro sepelietur." Domina cum haec audisset, ad terram cecidit. Miles videns dolores dominae, in terram iacuit, uxor militis cum eis ac nuntius; omnes isti per magnum spatium iacebant, et in eis prae magno dolore non est vox neque sensus. Domina vero post magnum spatium surrexit, crines capitis traxit, faciem usque ad sanguinis effusionem dilaceravit et alta voce clamavit: "Heu mihi, pereat dies, in qua concepta eram, non illa numeretur, in qua sum nata! Quantas habeo iniquitates et quanta in me sunt completa! Periit spes mea, fortitudo mea, frater meus unicus, dimidium animae meae. Quid faciam de cetero, penitus ignoro." Surrexit miles et ait: "O domina carissima, audite me! Si propter dolorem te ipsam necaveris, totum regnum peribit. Tu sola es derelicta et iure hereditario regnum tibi debetur. Si ergo te ipsam occideris, regnum ad extraneos convolabit. Surgamus ergo et ad locum, ubi corpus iacet, accedamus et honorifice eum sepeliemus, deinde studeamus, quomodo imperium regere debemus." Illa vero ex verbis militis confortata surrexit et cum honesta comitiva ad castrum fratris sui accessit.

Cum autem intrasset, corpus regis super feretrum invenit, super corpus cecidit, a planta pedis usque ad verticem osculata est eum. Milites videntes nimium dolorem in ipsa de funere dominam extraxerunt et in cameram introduxerunt et corpus satis honorifice sepulturae tradiderunt. Post hoc quidam dux Burgundiae solemnes nuntios ad eam misit, ut ei in uxorem consentiret; illa vero statim respondit: "Quamdiu vixero, virum non habebō." Nuntii haec audientes voluntatem eius domino nuntiabant; dux haec audiens indignatus est contra eam et ait: "Si eam habuissem, rex illius regni fuisset, sed ex quo me vili pendebat, de regno suo parum gaudebit." Exercitum collegit, regnum intravit, comburebat et occidit et infinita mala perpetrabat et victoriam in omni bello obtinuit. Domina ad quandam civitatem bene muratam fugam petiit, in qua erat castrum fortissimum et in ea per multos annos permansit. Iam ad puerum proiectum in mare redeamus. Dolium cum puero per multa regna transiit, quousque iuxta coenobium monachorum pervenit et hoc feria sexta. Eodem die abbas illius monasterii ad litus maris perrexit et piscatoribus suis ait: "Carissimi, estote parati ad piscandum!" Illi vero retia sua parabant. Dum vero praepararent, dolium cum fluctibus maris ad terram pervenit. Ait abbas servis suis: "Ecce dolium! Aperiat et videatis, quid ibi lateat!" Illi vero dolium aperuerunt et ecce puer parvus pannis pretiosis involutus abbatem respexit et risit, abbas vero totaliter de visu contristatus ait: "O deus meus, quid est hoc, quod invenimus puerum in cunabulo?" Propriis manibus eum levavit, tabellas sub latere eius invenit, quas mater ibidem posuit. Aperuit et legit, quod puer ille inter fratrem et sororem esset genitus nec baptizatus, sed propter dei amorem petitur, ut sacramentum baptismi ei daretur, deinde cum auro, quod ad caput eius inveniretur, nutrire, et ad pedes argentum, per quod studium exerceret. Abbas cum haec legisset et cunabulum pannis pretiosis ornatum vidisset, intellexit, quod puer de nobili sanguine esset, statim eum baptizari fecit et ei proprium nomen imposuit, scilicet Gregorius, et puerum ad nutriendum uni piscatori tradidit, dans ei pondus, quod invenit. Puer vero crescebat, ab omnibus dilectus, quosque septem annos in aetatem complevisset. Abbas statim ad studium eum ordinavit, in quo miro modo profecit, omnes monachi coenobii tamquam suum monachum dilexerunt, puer vero infra pauca tempora omnes in scientia transcendit. Accidit quodam die, ut, cum filius piscatoris cum pila quadam luderet - et dictum piscatorem patrem suum esse credidit - , a casu filium piscatoris cum pila laesit, ille sic percussus amare flevit, domi perrexit et matri conquestus est dicens: "Gregorius frater meus me percussit." Mater haec audiens foras exivit et dure arguebat eum dicens: "O Gregori, qua audacia filium meum percussisti, cum tamen, qualis es et unde, ignoramus." Ait ille: "O mater dulcissima, nonne filius tuus sum ego?"

Quare talia mihi improperas?" Quae ait: "Filius meus non es et, unde sis, ignoro, sed unum scio, quod in quodam dolio inventus fuisti; abbas te mihi ad nutriendum dedit." Ille cum haec audisset, flevit amare, ad abbatem perrexit et ait: "O domine mi, diu vobiscum steti, credebam me filium piscatoris fuisse; cum tamen non sum, et ideo parentes meos ignoro, si placet, me ad militiam promoveas, quia hic amplius non manebo." Ait abbas: "O fili, noli talia cogitare! Omnes monachi in domo existentes miro modo te diligunt in tantum, quod post discessum meum in abbatem te promovebunt." Ait ille: "Domine, sine dubio non exspectabo, donec ad parentes meos pervenero." Abbas haec audiens ad thesaurum suum accessit et tabellas, quas in cunabulo suo invenit, ei ostendit dicens: "Nunc, fili, lege interius et, qualis es, clare invenies." Cum vero legisset, quod inter fratrem et sororem esset genitus, ad terram cecidit et ait: "Heu mihi, quales parentes habeo? Ad terram sanctam pergam et pro peccatis parentum pugnabo et ibi vitam finiam. Peto ergo, domine, instanter, ut me ad militiam promoveas." Quod et fecit. Cum autem licentiam de recessu recepit, factus est planctus magnus in coenobio, dolor in populo et in circuitu lamentatio. Ad mare se transtulit et convenit cum nautis, ut eum ad terram sanctam ducerent. Cum vero navigassent, ventus erat eis oppositus et subito ducti sunt ad eandem civitatem, in qua erat mater eius in castro. Qualis erat civitas aut quod regnum, penitus nautae ignorabant. Cum autem civitatem miles intrasset, quidam civis ei occurrebat et ait ei: "Domine, quo tenditis?" Et ille: "Hospitium quaero." Civis vero ad domum suam cum tota familia sua duxit et splendide eis ministravit. Cum vero in mensa sederent, dominus Gregorius hospiti dixit: "Domine, qualis est civitas illa et quis dominus istius terrae?" At ille: "Carissime, unum virum valentem imperatorem habuimus, qui mortuus est in terra sancta, qui nullum heredem praeter suam sororem post se reliquit; quidam dux eam in uxorem petiit, quae nullo modo copulari intendit. Ille ex hoc indignatus totum regnum istud excepta civitate ista manu forti acquisivit." Ait miles: "Numquid secretum cordis mei potero secure propalare?" At ille: "Domine, etiam cum omni securitate." Qui ait: "Miles sum; si placet, die crastina ad palatium pergas et cum senescallo sermonem de me facias, quod, si salarium mihi dederit, pro iustitia dominae isto anno pugnabo." Ait civis: "Non dubito, domine, quin de adventu tuo gaudebit tot corde; die crastina ad palatium pergam et finem huius rei faciam." Mane surrexit, ad senescallum perrexit et de adventu eius intimavit. Ille non modicum gaudens pro domino Gregorio nuntium destinavit. Cum eum vidisset, dominae est praesentatus et multum commendatus. Quem cum vidisset, intime eum respexit; sed quod erat filius eius, penitus ignorabat. Ipsa eum submersum a multis annis credidit. Senescallus in praesentia

dominae eum conduxit, ut per integrum annum ei ministraret. Die crastina ad bellum se parat, adest dux in campo cum exercitu magno, dominus Gregorius bellum aggreditur, omnes penetravit, quousque ad ducem pervenit, quem in eodem loco occidit et caput eius amputavit et victoriam obtinuit. Miles vero post haec de die in diem proficiebat, fama eius undique circuibat, sic quod, antequam annus fuisset completus, totum regnum a manibus inimicorum acquisivit. Deinde ad senescallum venit et ait: "Carissime, vobis constat, in quo statu vos inveni et ad quem statum duxi; rogo ergo, trade mihi salarium, quia tendo pergere ad alium regnum." Ait senescallus: "Domine, plus meruisti, quam ex conventionem tenemur tibi; ideo ad dominam nostram pergam, ut de statu ac mercede finem faciam." Cum autem ad dominam venisset, ait: "O domina carissima, dicam vobis aliqua verba proficua, ex defectu capitis omnia mala sustinuimus; ideo bonum est virum accipere, per quem poterimus de cetero securi esse. Regnum vestrum in divitiis abundat, et ideo virum propter divitias accipere non consulo; unde ignoro, ubi melius ad honorem vestrum et commodum totius populi poteritis virum accipere, quam dominum Gregorium." Illa vero solebat semper respondere: "Voveo deo, quod numquam copulabor viro." Sed ad verbum senescalli diem deliberationis constituit ad respondendum. Adest vero dies, cunctis audientibus domina dixit: "Ex quo dominus Gregorius valide nos et regnum nostrum de manibus inimicorum liberavit, eum in virum accipiam." Haec audientes gavisus sunt valde, diem nuptiarum constituit, ambo cum magno iubilo et consensu totius imperii in matrimonium sunt coniuncti, filius cum matre propria; sed quales essent, utrique ignorabant. Facta est inter eos dilectio magna. Accidit quadam die, quod dominus Gregorius ad venandum perrexit; ait quaedam ancilla dominae: "O domina carissima, numquid dominum nostrum regem in aliquo offendisti?" Quae ait: "In nullo. Credo, quod in mundo non inveniuntur duo adinvicem ligati in matrimonio, qui tantum se diligunt mutuo, sicut dominus meus et ego. Sed dic mihi, carissima, quare protulisti talia verba?" At illa: "Omni die, quando ponitur mensa, dominus noster rex illam cameram privatam intrat laetus; sed cum exit, lamentationes et fletus emittit; deinde faciem lavat; sed quare hoc fit, penitus ignoro." Domina cum hoc audisset, cameram illam sola intravit, de foramine in foramen intime respexit, donec ad illud foramen venit, in quo tabellae erant, quas singulis diebus solebat legere, quomodo inter fratrem et sororem genitus esset; et tunc amare flevit. Illae enim erant tabellae, quae in cunabulo suo erant inventae. Domina vero cum tabellas invenisset, statim notitiam illarum habebat, aperuit, scripturam legit de manu propria, intra se cogitabat: "Numquam homo iste ad tabellas venisset, nisi filius meus esset." Incepit alta voce clamare ac dicere: "Heu mihi, quod sum nata ac in mundo

educata! Utinam in die conceptionis meae mater mea fuisset exstincta!" Cumque esset in aula clamor, audientes milites dominae ad dominam cucurrerunt cum ceteris et illam iacentem in terra invenerunt et per longum tempus circa eam steterunt, antequam verbum ab ea habere potuerunt; deinde os aperuit et ait: "Si diligitis vitam meam, statim dominum meum quaerite!" Milites haec audientes statim equos ascenderunt et ad imperatorem equitabant et ei dixerunt: "Domine, regina in periculo mortis iacet." Ille hoc audiens lusum dimisit et ad castrum perrexit, cameram, in qua domina iacuit, intravit. Domina cum illum vidisset, ait: "O domine, omnes exeant praeter vos, ut nullus audiat, quae vobis dixerō!" Cum autem omnes essent expulsi, ait domina: "O carissime, de qua progenie es tu, dicite mihi!" Qui ait: "Ista est mirabilis quaestio; scias sine dubio, quod de longinqua terra sum ego." Et illa: "Deo voveo, quod nisi dixeris mihi veritatem, me cito morientem vides." Qui ait: "Et ego dico tibi, quod pauper eram, nihil habens praeter arma mea, cum quibus vos et totum regnum a servitute liberavi." At illa: "Dic mihi modo, de qua terra es oriundus et qui erant parentes tui, et nisi mihi veritatem dixeris, numquam cibum gustabo." Et ille: "Vobis de veritate fateor. Quidam abbas ab infantia me nutritiv et mihi saepius dixit, quod in quodam dolio me invenit infra cunabulum, et ab illo tempore usque in praesens me nutritiv, quousque ad partes istas veni." Domina cum haec audisset, tabellas ei ostendit et ait: "Numquid tabellas istas nosti?" Ille cum tabellas vidisset, ad terram cecidit. Illa vero ait: "O fili dulcissime, tu es filius meus unicus, tu es maritus meus et dominus meus, tu es filius fratris mei et meus. O fili dulcissime, in dolio cum istis tabellis posui te, postquam peperisti te. Heu mihi, quare de vulva eduxisti me, domine deus meus, quia tot mala sunt per me perpetrata! Fratrem meum proprium cognovi et te ex me genui. Utinam consumpta essem ne oculus me videret! Fuissem quasi non essem de utero!" Ad murum caput percussit et ait: "O domine deus meus, ecce filius meus, maritus meus et filius fratris mei!" Ait dominus Gregorius: "Credebam me evasisse periculum et iam in rete diaboli cecidi. Dimitte me, domina, ut plangam miseriam meam! Vae mihi, vae, ecce mater mea, amica mea, uxor mea! Ecce sic diabolus conclusit me." Mater cum in filio tantum dolorem vidisset, ait: "O fili dulcissime, pro peccatis nostris peregrinabor toto tempore vitae meae, tu vero regnum gubernabis." Qui ait: "Non fiet ita! In regno mater expectabis, ego vero peregrinabor, donec a deo peccata nostra sint dimissa." De nocte surrexit, lanceam suam fregit, vestimentis se induit peregrini, matri valefecit et nudis pedibus ambulavit, quousque extra regnum pervenit, deinde ad quandam civitatem in noctis obscuritate venit ad domum unius piscatoris, a quo hospitium pro dei amore petivit. Piscator eum diligenter respexit et cum

membrorum decentiam et corporis dispositionem vidisset, ait ei: "Carissime, verus peregrinus non es; hoc bene apparet in tuo corpore." At ille: "Licet vere peregrinus non fuero, hospitium tamen dei amore nocte ista peto." Uxor piscatoris, cum eum vidisset, pietate mota preces fundebat pro eo, ut introduceretur. Cum autem introductus fuisset, retro ostium grabatum parari iussit, piscator pisces cum aqua ei dedit et panem, et inter cetera ei dixit: "Tu peregrine, si sanctitatem cupis invenire, loca solitaria deberes accedere." At ille: "Domine, libenter hoc attemptarem, sed locum talem ignoro." Qui ait: "Die crastina mecum pergas et ad locum solitarium te ducam." Et ille: "Deus sit tibi merces!" Mane vero piscator peregrinum excitavit, in tantum enim festinabat, quod tabellas suas parvas retro ostium dimisit. Piscator cum peregrino mare intravit, per XVI miliaria in mari navigabant, donec ad quandam rupem pervenit habens circa pedes eius compedes, qui sine clave non poterant aperiri; sed postquam compedes serasset, claves in mari proiecit, deinde domum rediit. Peregrinus iste per XVII annos in paenitentia remansit. Accidit, quod papa moritur. Ipso mortuo venit vox desuper de caelo dicens: "Quaerite hominem dei et illum in vicarium constituite, nomine Gregorium!" Electores hoc audientes gavisii sunt valde, nuntios per diversas partes mundi miserunt, ut eum quaererent. Tandem in domo piscatoris hospitati sunt. Cum vero in cena fuissent, piscatori dixerunt: "O carissime, multum vexati sumus per regna et castra quaerendo unum sanctum virum nomine Gregorium, quem in summum pontificem constituere debemus et non invenimus." Ille vero cum de peregrino fuisset recordatus, ait: "Iam sunt XVII anni, quod unus peregrinus nomine Gregorius in domo ista est hospitatus, quem ad quandam rupem in mari duxi et ibidem dimisi; sed scio, quod a multo tempore mortuus est." Accidit, quod eadem die pisces accepit, et dum unum piscem extraxisset, clavem, quam XVII annis in mare proiecit, infra piscem invenit. Statim alta voce clamavit: "O carissimi, videte clavem, quam in mari proieci! Ut spero, de labore vestro non eritis frustrati." Nuntii haec audientes et videntes gavisii sunt valde, mane vero surrexerunt, piscatorem rogabant, ut eos ad rupem duceret, quod et factum est. Cum autem ibidem venissent et eum vidissent, dixerunt: "O Gregori, homo dei, ex parte dei omnipotentis ad nos ascende, quia dei voluntas est, ut eius vicarius in terris constitutus sis!" At ille: "Quod deo placet, eius voluntas fiat!" Illum extra rupem duxerunt. Antequam civitatem intravit, omnes campanae civitatis per se pulsabant. Cives haec audientes dixerunt: "Benedictus altissimus, iam venit, qui Christi vicarius erit." Omnes ei obviam processerunt et cum magno honore eum receperunt et Christi vicarium constituerunt. Beatus Gregorius in vicariatu constitutus in omnibus se laudabiliter habebat. Fama eius per orbem volabat, et quod tam sanctus

Christi vicarius constitutus erat. Multi ex omnibus partibus mundi veniebant, ut eius consilium et auxilium haberent. Audiens vero mater eius, quod tam sanctus homo Christi vicarius factus esset, intra se cogitabat: "Ubi iam melius potero accedere, quam ad istum sanctum virum et vitam meam ei intimare?" Verumtamen quod esset filius eius et maritus, penitus ignorabat. Ad Romam perrexit et Christi vicario est confessa. Ante confessionem nullus alium cognovit, sed papa, cum confessionem matris audisset, notitiam eius per omnia habebat et ait: "O mater dulcissima, uxor et amica, diabolus credebat nos ducere ad inferna et nos evasimus dei gratia." Illa haec audiens ad pedes eius cecidit et prae gaudio amare flevit, papa vero de terra eam levavit et in eius nomine monasterium constituit, in quo eam abbatissam fecit, et infra pauca tempora ambo animas deo reddiderunt.

/*Cap. De morte (97)*/

Legitur in chronicis, quod anno XXII ab urbe Romana condita populus Romanus columnam marmoream in foro Romano statuerunt, et ibi imaginem Iulii Caesaris fecerunt et super caput eius nomen Iulii scripserunt, quia in honore ipsius factum fuit. Sed iste Iulius Caesar tria signa in morte vel antequam moreretur accipit; centesimo enim die ante mortem suam cecidit fulmen ante imaginem in foro et in nomine subscripto litteram primam abrasit. Nocte vero praecedente diem mortis suae fenestrae thalami eius cum tanto strepitu et impetu apertae sunt, ut domum ruituram aestimaret. Eadem vero die mortis suae cum ad Capitolium iret, datae sunt ei litterae iudicii mortis suae imminens, quae si statim legisset, mortem evasisset.

/*Cap. Quod est vigilandum contra fraudes diaboli, ne nos decipiat (106)*/

Olim erant tres socii, qui ad peregrinandum pergebant. Accidit, quod cibaria praeter unum panem invenire non poterant, et erant famelici valde, dixerunt adinvicem: "Si iste panis in tres partes dividatur, unicuique pars non sufficeret ex nostris ad saturandum; habeamus ergo sanum consilium, quomodo debeamus de isto pane disponere." Ait unus: "Hic in via dormiemus et quilibet somnium habeat, et qui maius mirabile viderit, ille totum panem habeat." Responderunt alii duo: "Bonum est consilium." Et inceperunt dormire. Ille, qui consilium dederat, surrexit et ipsis dormientibus panem totaliter comedit, nec unicam micam sociis suis dimisit. Hoc facto socios suos excitavit dicens: "Surgite velociter! Tempus est, ut quilibet somnium suum dicat." Ait primus: "Carissimi, mirabile somnium vidi, scilicet unam scalam auream de caelo descendentem, per quam angeli

descenderunt et ascenderunt et animam meam usque ad caelum de corpore meo extraxerunt. Quando ibi eram, patrem et filium et spiritum sanctum vidi, et tantum gaudium circa animam meam erat, quod oculus non vidit nec auris audivit, quod ibidem percepi; et istud est somnium meum." Ait secundus: "Et ego vidi, quod daemones cum instrumentis ferreis ac igneis animam meam de corpore meo traxerunt et ibidem me male tractaverunt et dixerunt: `Quamdiu deus regnat in caelo, permanebis in isto loco.'" Ait tertius: "Audite somnium meum! Videbatur mihi, quod quidam angelus ad me venit et ait: `Carissime, vis videre, ubi sunt socii tui?' Respondi: `Etiam, domine, quia inter nos habemus unum panem dividere; timeo, quod cum pane recesserunt.' At ille: `Non est ita; sed panis iuxta vos est; sequamini me.' Duxit me ad portam caeli, caput meum tantum secundum praeceptum suum infra portam posui, et vidi te; et videbatur mihi, quod ad caelum raptus fuisti et sederes in throno aureo et multa cibaria ac vina optima ante te; dixitque angelus mihi: `Ecce, socius tuus abundat in omni gaudio et in cibariis, et ibidem in aeternum permanebit, quia, qui semel regnum caeleste intraverit, exire non poterit. Iam mecum veni, et ostendam tibi, ubi alius socius tuus est.' Cum vero secutus illum fuisset, duxit me ad portas inferni, et ibi vidi te, sicut dixisti, in poenis gravissimis, cum tibi antea cottidie ministrabatur panis et vinum in magna copia, tunc a te quaesivi: `<...>, o carissime socie, mihi displicet, quod in istis poenis iaces.' Tu vero respondisti mihi, quod, quamdiu deus regnat in caelo, hic permanebo, quia hoc merui. `Surge ergo cito et totum panem comede, quia amodo nec me nec socium nostrum videbis.' Ego vero cum vidi, surrexi et, sicut dixisti, panem comedi."

/*Cap. De promissionis fidei constantia (108)*/

Erat quidam imperator, in cuius imperio erant duo latrones, adinvicem confoederati iuramento, ut nullus alium dimitteret in necessitate, sed quilibet pro altero vitam poneret. Multa mala adinvicem perpetraverunt, scilicet furtum et homicidium. Accidit semel, quod unus sine altero et eo absente cum furto captus erat et in carcere in compedibus positus. Quod audiens socius eius, alter latro, ad eum venit et dixit: "Carissime socie, dic mihi, <...> in fide ligati sumus." At ille: "Ut mihi videtur, mori debeo, quia comprehensus sum cum furto. Si velles tantum facere istud, quod tibi dixero, semper essem tibi obligatus. Uxorem et parvulos ac familiam habeo, de eis nihil ordinavi, nec de bonis meis. Si in loco meo posses exspectare in carcere, et hoc poteris a iudice inquirere, domi vadam et de uxore et familia et de bonis meis ordinabo et tempore debito revertar et liberabo te." At ille: "Istud satis fideliter adimplebo." Perrexit ad iudicem et ait: "Domine mi,

amicus meus captus est et in carcere positus; mortem, ut credo, evadere non potest; si placet, tantum unam petitionem a vobis peto, ut eum licentietis, quod ad domum propriam accedere potest, ut ante mortem suam de uxore et familia poterit disponere. Ego vero, ut de eo sis securus, loco suo in carcere remanebo, donec venerit." Ait iudex: "Tali die iudicium de eo ac de aliis fiet; si vero eodem die non venerit, quid ad hoc respondebis?" At ille: "Domine, omnem securitatem, quae tibi placet, adimplebo. Quod si non venerit, pro eius amore mortem sustinebo." Ait iudex: "Petitionem tuam exaudiam, ita tamen, quod te in vinculis habeam, quousque ipse redierit." Et ille: "Bene placet mihi." Tunc iudex istum in carcere posuit et alium libere misit abire. Ille vero domi recessit, de uxore, prole et familia ordinavit, et tamdiu exspectavit, quod ad tres dies iudicii, in quo omnes malefactores coram iudice sunt praesentati, et inter alios ille, qui prompte se carceri obtulit, pro amico suo est praesentatus. Ait ei iudex: "Ubi est amicus tuus, qui hodie deberet redire et te liberare ac salvare?" At ille: "Domine, spero, quod non deficiet." Iudex vero diu exspectabat, si veniret, et non venit. Statim dedit pro sententia, ut ad patibulum duceretur; et sic factum est. Cum vero ad patibulum venisset, ait ei iudex: "Carissime, imputes tibi et non mihi, quod nunc morieris. Dixisti, quod amicus tuus veniret et te liberaret." Ait ille: "Domine, ex quo mori debeo, instanter peto, ut ante mortem meam pulsare potero." Ait iudex: "Cuiusmodi pulsatio erit illa?" Qui ait: "Ante mortem meam tribus vicibus clamare." Et ille: "Mihi placet." Ille incepit alta voce clamare primo, secundo, tertio, et respexit circumquaque, et hominem agili cursu venientem vidit a longe et ait iudici: "Mortem meam differas! Ecce hominem venientem video. Forte ipse est socius meus, qui me hodie liberabit." Iudex vero cum ipsum venientem audisset, exspectavit. Et ecce socius eius venit et ait: "O domine, ego sum ille, qui de bonis meis, uxore et amicis meis disposui, et amicus meus interim in periculo mortis pro me stetit. Illum libere permittas abire, quia paratus sum, pro peccatis meis mortem sustinere." Iudex respexit eum et ait: "O carissime, dic mihi causam, quare adinvicem estis tam fideles?" Et ille: "Domine, a pueritia quilibet alteri fidem dedit, ut in omnibus fideles essemus. Et haec est causa, quare ipse in loco meo se posuit, quousque de domo mea ordinassem." Iudex ait: "Ex quo ita est, tibi mortem remitto, et sitis mihi fideles. De cetero mecum manebitis, et de praebenda necessaria vobis providebo per omnia." At ille: "Domine, omnem fidelitatem amodo promittimus vobis." Iudex igitur eos recepit ad gratiam, et omnes iudicem laudabant, qui fecit eis talem misericordiam.

/*Cap. De dilectione dei, quomodo omnes nos aequaliter diligit usque dum ipsum per peccata despiciamus (116)*/ Pippinus regnavit, qui quandam pulchram puellam desponsavit, quae concepit et elegantem filium peperit, sed in partu mortua est. Duxit aliam et ex illa etiam filium genuit, utrumque filium ad nutriendum in longinquas partes misit. Isti duo per omnia sibi invicem erant similes. Cum vero per longa tempora moram traherent, mater secundi filii suum filium videre cupiebat, preces regi fundebat, ut filium suum videre possit. Rex ei concessit, et nuntium pro duobus filiis destinavit. Qui cum venissent, ita per omnia similes erant, licet tamen secundus esset minoris quantitatis et aetatis, quia forte unius anni, nihilominus tamen tantus erat secundus, quantus primus, sicut multotiens contigit, et forte uterque patrissabat in facie et in unanimitate mentis et corporis, ita quod regina, quis eius filius esset, ignorabat. A rege diligenter petivit, quis illorum esset filius eius; sed rex ei indicare noluit. Ipsa hoc audiens flevit amare. Rex cum hoc audisset et vidisset, ait ei: "Noli flere! Ille est filius tuus." Et demonstravit sibi filium, quem de prima uxore genuerat. Regina hoc audiens gavisus est valde, statim totam curam dedit filio isti ad nutriendum et de alio nihil curabat, qui erat eius proprius filius. Rex cum hoc vidisset, dixit ei: "Quid facitis ei? Decepi vos; ille non est filius vester, sed unus istorum est." At illa: "Quare sic mecum agis? Indica mihi! Rogo te." Et ille: "Nolo, et haec est causa: Si veritatem tibi dixissem, unum scilicet filium tuum velles eum diligere et alterum odio habere, et ideo volo, quod ambos aequaliter diligas et nutrias, et cum ad aetatem legitimam veniunt, tunc tibi veritatem pandam, de qua gaudebit cor tuum." Hoc audiens regina ambos peroptime nutrit, donec ad aetatem legitimam pervenerunt; cum autem quis esset filius eius per regem fuerat experta, ultra modum fuit gavisus, et sic in pace vitam finierunt.

/*Cap. De gloria mundi et luxuria, quae multos decipit et ad interitum deducit (121)*/

Olim erat quidam rex, qui habuit duos milites in una civitate; unus erat senex, alter iuvenis. Senex erat dives et pulchram puellam propter eius pulchritudinem in uxorem duxit. Iuvenis miles erat pauper et quandam vetulam locupletem propter divitias accepit, quam miles non multum dilexit. Accidit semel, quod miles iuvenis per castrum senis militis ambularet et uxor senis militis in quadam fenestra in solario sedebat et dulciter cantabat. Iuvenis miles cum eam vidisset, captus est in amore eius et in animo cogitabat: "Melior esset combinatio inter me et illam iuvenulam, quam inter ipsam et virum suum, qui est homo senex et impotens, et quod uxor mea esset uxor eius." Et ab illo die incepit eam diligere et clenodia dare. Domina

vero etiam miro modo eum dilexit et, quando potuit, ad eum accessit, et omnibus viribus nitebatur, si possibile esset, in virum accipere post mortem viri sui. Erat autem ante fenestram castris senis militis arbor ficuum, in qua omni nocte philomena residebat, quae dulciter cantabat, quod propter cuius cantum domina singulis noctibus surrexit et ad fenestram perrexit, et per magnum spatium ibidem exspectabat, ut canticum philomenae audiret. Cum hoc percepisset vir eius, quod singulis noctibus surgeret, ait ei: "Carissima, qua de causa de lecto singulis noctibus surgis?" Quae respondit: "Super arborem fici omni nocte residet philomena, quae tam dulciter cantat, quod oportet me surgere et eam audire." Miles hoc audiens de mane surrexit et cum arcu et sagitta ad arborem fici perrexit, philomenam occidit et cor extraxit et uxori praesentavit. Domina videns cor philomenae flevit amare dicens: "O bona philomena, fecisti, quod debuisti. Ego sum causa mortis tuae." Statim nuntium ad iuvenem militem misit, nuntiando ei crudelitatem mariti, eo quod philomenam interfecisset. Miles hoc audiens commota sunt omnia viscera eius, et ait in corde suo: "O si constaret isti crudeli, quantus est amor inter me et suam uxorem, peius me tractaret." Armavit igitur se duplici armatura et castrum intravit et senem militem occidit. Post hoc cito moritur uxor sua, et ipse cum gaudio uxorem senis militis occisi in matrimonium duxit, et ambo longo tempore vixerunt et in pace vitam finierunt.

/*Cap. De amicitiae verae probatione (129)*/*

Quidam rex habuit tantum unicum filium, quem multum dilexit; qui filius a patre licentiam accepit, ut mundum visitaret et amicos sibi acquireret. Qui per septem annos vagabatur in mundo et post haec ad patrem rediit. Pater gaudenter eum recepit et ab eo quaesivit, quot amicos acquisivisset. At filius: "Tres; primum amicum plus quam me ipsum diligo, secundum tantum sicut me ipsum, et tertium parum aut nihil." Cui pater: "Bonum est eos probare et temptare, antequam indigeas de eis. Porcum occide et in sacco pone et in domum amici, quem plus diligis quam te, perge de nocte et ei dic, quod a casu hominem occidisti; et si inventum fuerit corpus tecum, morte turpissima ero condemnatus. Rogo modo te, sicut te semper plus quam me ipsum dilexi, succurre mihi in hac maxima necessitate!" Quod et factum est. At ille respondit: "Sicut eum occidisti, iustum est, ut poenae subiaceas. Sed si corpus tecum esset inventum, forte in patibulo ero suspensus. Verumtamen, quia amicus meus fuisti, ideo tecum pergam ad patibulum, et postquam mortuus fueris, tres vel quattuor ulnas panni tibi dabo ad corpus tuum involvendum." Ille hoc audiens ad secundum amicum accessit, et illum ut primum probavit. Ille sicut primus renuit dicens: "Credis me fatuum, quod

in tali periculo me ponere vellem? Verumtamen, quia amicus meus fuisti, ideo ad patibulum tecum pergam et in via te consolabor, quantum potero." Ille ad tertium amicum accessit et eum probavit dicens: "Verecundor tibi loqui, quod numquam pro te aliquid feci et ecce nunc a casu hominem interfeci etc." At ille: "Libenter hoc faciam et culpam mihi imponam, et patibulum, si necesse fuerit, pro te ascendam." Hunc expertus est meliorem amicum suum fuisse.

/*Cap. De conscientia nostra quae dum angustiat ad deum per confessionem et opera meritoria recurramus (135)*/

Refert Augustinus de civitate dei, quod Lucretia, Romana nobilissima moribusque < pudicissima >, erat uxor Collatini, et cum ille Collatinus Sextum nomine filium imperatoris Tarquini ad castrum suum invitasset, Sextus est statim captus in amore pulcherrimae Lucretiae. Tempus aptum, quo imperator et Collatinus de Roma simul recederent, observans et ad praedictum castrum reversus ibi pernoctavit et nocte illa non ut hospes, sed ut hostis cubiculum Lucretiae clam ingressus, manu sinistra opprimens pectus eius, dextra vero gladium tenens se prodidit dicens: "Sine mora mihi consentias vel morieris!" Illa vero nullo modo consentire volebat, dixitque Sextus: "Nisi mihi consentias, servum iugulatum nudum corpori tuo nudo etiam te iugulato sociabo, ut per orbem fama currat Lucretiam ob stupri causam cum servo in cubiculo iugulatam." Illa vero timens de tali infamia coacta concessit. Sextus vero completa libidine recessit. Ipsa vero multum dolens patrem et maritum, fratres et imperatorem, nepotes et proconsules vocavit per litteras, quos omnes praesentes sic alloquitur dicens: "Sextus domum meam intravit hostis pro hospite. Scias tu, o Collatine, vestimenta viri alieni in lecto tuo fuisse. Verumtamen licet corpus sit violatum, animus tamen est innocens. Ideo a culpa me absolve, a poena tamen non liberabor." Statim cum gladio occultato sub chlamyde propria manu se transfixit. Quo facto amici eius gladio accepto iurant per sanguinem Lucretiae omnem progeniem Tarquini de Roma eicere et extirpare, quod et fecerunt. Sextum vero auctorem criminis interfecerunt miserabiliter.

/*Cap. De timore extremi iudicii (143)*/

Quidam rex erat, qui statuit pro lege, quod, quicumque subito mori deberet, mane ante ortum solis ante domum eius tubas canerent, et statim talis vestibibus nigris se indueret et sic ad iudicium veniret. Ille rex magnum convivium fecit et omnes nobiles satrapas regni vocari fecit, qui omnes venerunt. In convivio erant omni genere musicali periti, qui magnum solacium convivis fecerunt ex suavi melodia, rex vero nullum solacium nec

signum laetitiae ostendit, sed vultum tristem habuit et suspiria et gemitus emittebat. Haec videntes convivae mirati sunt et non fuerunt ausi petere ab eo causam tristitiae, sed dixerunt fratri regis, ut causam tantae tristitiae indicaret, qui et fecit dicens sibi, quod omnes in convivio mirarentur de tanta tristitia et causam libenter scirent. Ait rex: "Vade ad domum tuam! Die crastina responsum audies." Quod et factum est. Rex praecepit bucinatoribus, ut sequenti mane venirent ante domum fratris sui et tubis canerent et ipsum ad eum ducerent secundum legem, quod et fecerunt. Audiens frater regis de mane tubas ante domum suam commota sunt omnia viscera eius et surrexit, vestibusque nigris se induit, veniens ad regem, qui fecit fieri foveam profundam et ultra foveam cathedram fragilem, quae quattuor pedes fragiles habuit, et fecit fratrem suum exui vestibus et super cathedram poni. Cum autem in cathedra esset collocatus, ordinavit, ut gladius acutus ultra caput suum per filum sericum penderet; deinde ordinavit quattuor homines cum quattuor gladiis acutissimis, unam a parte ante, alium a parte posteriori, tertium a parte dextra et quartum a parte sinistra. Cum autem sic starent, ait rex illis quattuor: "Cum dixero, sub poena mortis gladios in eum infigite!" Et tubas omniaque genera musicalia fecit adduci coram fratre et mensam parari et diversa fercula apponi et ait: "O frater mi carissime, quare tantum doles et tantam tristitiam in corde habes? Ecce optima fercula, ecce melodia suavissima! Quare non gaudes et laetaris?" At ille: "Quomodo potero gaudere, cum in signum mortis hodie mane sonitum tubae ante domum meam audivi et modo corruptibili et fragili cathedra sum collocatus? Si indiscrete me moveam, ipsa cathedra frangitur et in puteum cado, de quo resurgere non potero; si caput meum erigo, gladius ultra caput meum petens et cadens usque ad cerebrum me interficiet; quattuor tortores in circuitu meo stant parati cum gladiis ad unicum verbum vestrum me occidere; istis consideratis, si dominus totius mundi essem, gaudere non possem." Cui rex ait: "Iam ad quaestionem hesternam, quare non gauderem, respondeo. Ego sum sicut tu es modo collocatus in cathedra corruptibili et fragili, quia in corpore fragili cum quattuor pedibus corruptibilibus, scilicet de quattuor elementis, et sub me est puteus infernalis; ultra caput meum gladius acutus scilicet divinum iudicium paratum animam meam a corpore separare; ante me gladius acutus scilicet mors, quae nulli parcat et, antequam speratur, veniet, et quomodo, ubi vel quando, penitus ignoro; a parte posteriori alius gladius paratus ad percutiendum, scilicet peccata mea, quae in hoc saeculo commisi, parata sunt ante tribunal me accusare; gladius a parte dextra est diabolus, qui circuit quaerens, quem devoret, et semper est paratus animam meam recipere et ad infernum deducere; gladius a parte sinistra sunt vermes, quae carnem meam post mortem corrodent; cum omnia

ista considero, numquam gaudere potero; si ergo tu tantum hodie me timuisti, qui sum mortalis, multo plus creatorem meum debeo timere. Vade ergo et noli amplius tales quaestiones quaerere a me!" Ille vero surrexit et gratias de vita sua regi reddidit, promittens firmiter amodo se corrigere. Hoc audientes laudabant responsum regis.

/*Cap. De statu mundi actuali (144)*/

Fertur de quodam rege, cuius regnum in tam subitam devenit mutationem, quod bonum in malum, verum in falsum, forte in debile, iustum in iniustum est mutatum. Quam mutationem rex admirans a quattuor philosophis sapientissimis causam huius quaesivit. Qui inquam philosophi post sanam deliberationem ad quattuor portas civitatis pergentes, quilibet eorum tres causas ibidem scripsit. Primus scripsit: Potentia est iustitia, ideo terra sine lege; dies est nox, ideo terra sine via; fuga est pugna, ideo regnum sine honore. Secundus scripsit: Unus est duo, ideo regnum sine veritate; amicus est inimicus, ideo regnum sine fidelitate; malum est bonum, ideo terra sine pietate. Tertius scripsit: Ratio habet licentiam, ideo regnum sine nomine; fur est propositus, ideo regnum sine pecuniis; corrobola vult esse aquila, ideo nulla discretio in patria. Quartus scripsit: Voluntas est consiliarius, ideo terra male colitur; denarius dat iudicium seu sententiam, ideo terra male regitur; deus est mortuus, ideo totum regnum peccatoribus est repletum.

/*Cap. De principibus et aliis magnatibus fortiter arguendis pro eorum forefactis (146)*/

Refert Augustinus in "de civitate dei", quod Dyonides pirata galea una longo tempore in mari homines spoliavit et cepit. Qui cum multis navibus iussu Alexandri fuisset quaesitus et tandem captus, et Alexandro praesentatus, eum interrogavit dicens: "Quare mare habet te infestum?" Ille statim respondit: "Quare te orbis terrarum? Sed quia ego hoc ago una galea, latro vocor, tu vero mundum opprimens navium multitudine magna, diceris imperator; sed si circa me fortuna mansuesceret, fierem melior; e converso tu quanto fortunatior, tanto deterior." Alexander respondit: "Fortunam tibi mutabo, ne malitia tuae fortunae, sed meritis ascribatur." Sicque ditatus est per eum et de latrone factus est princeps et zelator iustitiae.

/*Cap. De anima peccatrice per peccati lepram infecta quomodo curatur (151)*/

Quidam rex nobilis in regno suo habuit duos milites; unus erat avarus et alter invidus. Avarus pulchram uxorem habuit, oculis omnium gratiosam, invidus vero uxorem valde turpem et omnibus odiosam, et quandam

terram annexam militi avaro habuit, quam miles cupidus per omnia habere desiderabat. Saepius ad eum accessit et multa ei obtulit, si terram suam ei vendere vellet; miles vero invidus respondit se non velle vendere hereditatem suam pro auro vel argento. Attamen ex invidia coepit cogitare, quomodo pulchritudinem uxoris militi avaro posset denigrare, et dixit militi avaro: "Si desideras terram meam habere, nihil pro pretio desidero, nisi quod uxor tua mecum sit una nocte." Qui ei annuit et uxori dixit, quae repulsam dedit primo, sed tandem per virum inducta consensit. At ille miles invidus, antequam ei condormiret, cum leprosa commiscuit, hoc facto ad dominam accessit et eam cognovit, quotiens voluit. Quo facto eidem intimavit, quod lepram incurreret, dicens, quomodo invidiam de hoc habuisset, quod uxor sua tam turpis esset et ipsa tam pulchra. Ideo eam sic deturpavit. Quod audiens tristis facta est et flens amare marito suo intimavit, qui valde tristis factus dixit uxori suae: "Do tibi consilium: Adhuc nullum signum leprae in te apparet, hic prope extra regnum est magna civitas, in qua est universitas, ad illam pergas et omnibus venientibus sis communis, et qui prius ad te accessit, infirmitatem recipiet et ab omni lepra curaberis." Quod factum est. Venit filius imperatoris adamando eam fecitque eam venire ad se et eam rogavit, ut ei consentiret. Quae negavit dicens: "Absit a me, ut ego paupercula sim concubina filii imperatoris!" At ille magis ac magis eam propulsavit, ut ei consentiret. Illa cogitavit: "Hic filius imperatoris si lepram incurreret, magnum damnum esset." Et ei proposuit, quomodo incideret in lepram, si eam cognosceret. At ille nolens desistere eam cognovit et lepram incurrit. Altera die sentiens se liberatam ad patriam perrexit dicens ei: "Si vos contingat lepram incurrere, ad me declinate, et ego vobis in quantum possum de necessariis providebo." Post hoc non diu filius imperatoris leprosus factus est et tantum verecundabatur, quod nocte nullo sciente ad dominam ivit, ubi manebat. Hoc domina percipiens dixit marito suo: "Ille est, qui per me infectus est, et ego a lepra liberata sum." Qui videns eum turpiter infectum flevit amare, cameram sibi ordinavit, in qua solitarius manebat, et domina personaliter ei ministrabat et in eodem loco septem annis manebat. Accidit, quod in septimo anno erat calor intolerabilis et leprosus vas magnum cum vino pro refocillatione habebat, et quidam serpens in horto existens vas intravit et se balneavit et in profundum post lotionem iacuit. Leprosus cito a somno expergefactus multum sitiabat, vas cum vino accipiens ipso ignorante serpentem inbibit. Post hoc serpens omnia interiora eius coepit rodere tam graviter, quod leprosus

gemitus et suspiria dabat. Domina ei maxime compatiebatur, et passio illa durabat per tres dies continue. Quarto die vomitum fecit, et cum vomitu et veneno interiori serpentem proiecit. Statim dolor cessabat; de die in diem paullatim species leprae ab eo recessit, et post septem dies caro eius ab omni lepra est curata, sicut caro pueri, de quo domina multum est gavisata, et vestimentis pretiosis ipsum induebat, dextrarium optimum ei dedit, et ad imperium perrexit, ubi cum honore est receptus, et post mortem patris regnavit et vitam in pace finivit.

/*Cap. (195)*/

Lucius in Roma regnavit prudens valde; qui habebat filiam pulcherrimam, quam multum dilexit. Erat quidam miles in curia, qui puellam miro modo dilexit, et cum eam solam vidisset, ait ei: "Carissima, miro modo te diligo. Quid tibi dabo, quod possum una nocte tecum dormire?" Quae ait: "Mille marcas florenas." Ille vero concessit et ei dedit. Cum nox adesset, miles lectum intravit et statim dormire coepit, puella vero simili modo post eum. Miles per totam noctem dormivit nec a somno excitatus est. Mane vero cum sol oriretur, puella se vestimentis induit et eum a somno excitavit. Et ille: "O bona puella, intra lectum!" Quae ait: "Non facio tibi, carissime, iniuriam, tecum conveni pro mille marcis florenis, ut tecum tota nocte dormirem; hoc fideliter implevi. Sed tu fuisti ita ruralis, quod semel faciem tuam ad me non vertisti, et ideo de incurialitate te comprehendo." At ille: "Somnum cepi et per hoc deceptus fui; sed rogo, ut ad me iam intres." At illa: "Certe non faciam." Ait miles: "Quid tibi dabo, ut secunda vice possum tecum dormire?" Quae ait: "Tantum sicut prius." Ille vero concessit. Cum vero nox adesset, miles lectum intravit et statim dormivit et per omnia fecit sicut prius. Miles vero ultra quam credi potest dolens dixit puellae: "Dic mihi, bona puella, quomodo tecum dormiam tertia nocte!" Quae ait: "Certe pro mille marcis florenis." Ille assensit. Miles intra se cogitabat: "Primo perdidit mille marcas florenas, secundo terras meas obligavi pro aliis milibus, iam vero oportet me acquirere per aliquam viam, si debeo habere puellam." Perrexit ad quandam civitatem et obviavit uni mercatori et ait ei: "Domine, potes mihi mille marcis florenis commodare in necessitate?" Qui ait: "Quam securitatem mihi praestabis?" Et ille: "Quidquid vis." Cui mercator: "Volo, ut chartam de proprio sanguine tuo facias sub tuo sigillo, quod, si unum diem constitutum inter nos frangas, sine condicione potestatem habeam tantum de carnibus tuis scindere ac a corpore vellere, ubicumque mihi placeat in tuo corpore, ita tamen, quod carnes tuae pecuniam meam ponderent." At ille: "Mihi bene placet." Statim fecit sibi chartam de proprio sanguine suo sigillatam cum suo sigillo. Hoc facto tradidit mercatori chartam et recepit pecuniam. Miles cum

pecuniam accepisset, intra se cogitabat: "Si illam pecuniam perdidero sicut priorem, ero pauper perpetuo." Perrexit ad quendam philosophum et ait ei: "Bone magister, tibi habeo secretum pandere quoddam, et filiam imperatoris diligo et cum ea conveni, ut mecum una nocte dormiret pro mille marcis florenis. Et prima nocte et secunda dormivi et sic voluntatem in nullo implevi. Iam pecuniam a quodam mercatore mutuavi et, si illam sicut prius perdidero, confusus sum ego. Iam ad te veni, ut sciam, quomodo possim me ipsum salvare a dormitione, ne tam leviter amittam, quod tam care mutuavi." Ait philosophus: "Inter coopertorium puellae et lintheamen, dico tibi, iacet una charta habens illam virtutem, quod, quicumque intrat lectum, statim oppressus sit somno, donec a puella excitetur. De hoc sum expertus, quia chartam ordinavi. Sed dicam tibi, quomodo habeas puellam. Antequam ascendas lectum, chartam diligenter quaeras private, et cum inveneris, longe a lecto proicias et tunc audacter intra et voluptatem tuam obtinebis." Miles vero perrexit ad puellam, tradidit ei pecuniam. Cum vero nox adesset, miles vestimenta deposuit et, antequam lectum ascenderit, inter coopertorium et lintheamen chartam invenit, quam longe a lecto proiecit. Hoc facto lectum ascendit et se finxit dormire. Puella vero simili modo vestimenta deposuit et ignorans, quod charta fuisset ablata. Statim autem cum lectum ascendisset, miles manum ad eam posuit. Puella autem ait: "O domine, decepta sum, totam pecuniam, quam mihi dedisti, tibi reddam, et me illaesam permittas abire!" Qui ait: "In vanum loqueris." Quae ait: "Tibi pecuniam duplicabo." Ait miles: "Et si imperium patris tui mihi dares, tibi non concedam." Fecit cum ea voluntatem suam. Statim conglutinata est anima puellae cum eo et ultra modum eum dilexit, miles vero in tantum eam adamavit, quod transiit unam quindenam ultra diem constitutum inter illum et mercatorem et tradidit oblivioni, quomodo mercatori esset obligatus. Cum autem semel in lecto suo iacuisset, ad memoriam reduxit, quomodo mercatori obligatus esset. Suspiria, gemitus et fletus misit. Audiens haec puella ait: "O domine, quid est tibi? Cur tantum affligitur anima tua?" Qui ait: "Heu mihi, tantum te dilexi, quod pro tuo amore filius mortis sum!" At illa: "Dic, quomodo!" Respondit miles: "Obligatus sum uni mercatori in tali forma: Defecit mihi pecunia, ut tibi solverem, mutuavi ab uno mercatore mille marcas auri, ita quod, si non solverem die assignata, ipse potestatem haberet, ubicumque vellet, in toto corpore meo tantum pondus de carnibus meis abscidere. Quindena iam transiit de conventionem, propter nimium amorem, quem habeo ad te, oblitus fui et haec est causa doloris mei." At illa: "Noli tantum contristari, ad illum perge et pecuniam eius ei duplica! Si vero ei non placuerit, quaere, quidquid ei placeat, et hoc ego tibi dabo." Miles hoc audiens ad mercatorem perrexit et eum satis honorifice salutavit dixitque ei:

"Domine, diem meum non tenui, igitur graviter deliqui et pro delicto tibi pecuniam duplicabo." Ait mercator: "Carissime, scire debes, quod conventionem meam servare volo, quam per litteras es mihi obligatus." Qui ait: "Si ergo ad hoc non vis assentire, pete a me, quantum volueris, et obtinebis." Ait mercator: "Quid verba multiplicias? Iam dixi tibi, crede mihi, conventionem ascriptam inter nos habere volo." Statim fecit eum capi et ad iudicium duci. Lex autem erat, quod, sicut homo voluntarie se obligaret, ita et iudicium reciperet. Interim puella exploratores habebat, quomodo de amasio suo tractaretur. Exploratores revertentes nuntiaverunt ei, quod ad iudicium ductus fuerit. Puella hoc audiens ait intra se: "Si ille morietur, ego ero rea; non fiet ita." Statim crines capitis sui perscidit ad modum viri, vestes mulieris mutavit et sicut vir per omnia se praeparavit ascendensque dextrarium ad iudicium equitavit. Cum autem iudex eam vidisset, notitiam eius in nullo habebat, quia credebatur eam esse virum. Et dixit ei: "Carissime, unde venis?" Quae ait: "De partibus marinis venio a causa, per istam civitatem transitum feci et a viris fide dignis audivi, quod quidam miles hic inter vos per quendam mercatorem male sit tractatus, et ideo iudicium intravi, ut militem a morte liberarem." Ait iudex: "Carissime, illum iuvare non potes, quia lex huius regni dictat, quod, sicut homo se voluntarie obligaverit, sic sine contradictione iudicium recipiat, si conventionem non impleverit. Miles iste convenit cum mercatore illo pro quadam summa pecuniae, quod, si non solveret die statuto, habeat potestatem plenariam in toto corpore, ubicumque ei placuerit, tantum pondus, quantum sit de pecunia, abscidere, et ideo hoc nullo modo potest fieri, nisi occidatur." At illa: "Domine, si mercator hoc tantum concederet, ut vita eius redimi posset, numquid tibi placeret?" Qui ait: "Peroptime." Conversa puella ad mercatorem ait: "Care, quid prodest tibi, si occidatur ille? Nonne melius est tibi, aurum et argentum recipere pro eo pro tua voluntate, quam mortem eius videre?" Ait mercator: "Bone domine, si posses mihi totum imperium dare, vitam eius non concederem." Quae ait: "O bone mercator, ex quo iudex vitam eius desiderat, fac tu similiter!" At ille: "Quod dixi, dixi et hoc in corde meo affirmavi." Quae ait: "Domine iudex, ex quo ita est, quod nec prece nec pretio iste mercator potest flecti, peto instanter, ut legem exerceas tam pro milite quam pro mercatore." Dixit iudex: "Quidquid lex iubet, hoc implebo." Ait illa mercatori: "Dic mihi, in qua parte corporis carnes eius velis abscidere!" Et ille: "In pectore, ubi cor iacet." Quae dixit iudici: "Domine mi, coram omnibus dixisti, quod iustitiam velis tenere pro milite sicut pro mercatore. Ex quo ita est, peto instanter beneficium legis. Rex dicit, quod, quicumque sanguinem alicuius effuderit, sanguis eius pro eo effundatur. Miles iste tantum conventionem fecerat de carnibus

abscindendis, non de effusione sanguinis. Tu ergo mercator impleas conventionem tuam, ubicumque volueris in toto corpore eius, sed videas, ne sanguinem eius effundas, quia, si hoc feceris, beneficium legis recipies." Dicit ei mercator: "Ex quo ita est, da mihi pecuniam meam, et tibi remitto omnem actionem, quam contra te habeo." Quae ait: "Dico tibi, quia non denarium ab eo obtinebis. Coram omnibus tibi obtuli et renuisti." Et conversa ad iudicem ait: "Carissime, da iudicium!" Qui ait: "Vita est salvata militis; numquam evelli potest sine sanguinis effusione, de mentionem fecit in conventionem; et quia mercator renuit, quod suum erat, transeat ergo sine solutione." Illa cum hoc audisset, gratias iudici reddidit et ait: "Domine, ad dominum te recomendo", exivit et equum ascendit et domum equitavit. Omnes autem iuxta iudicem sedentes dixerunt: "Miles iste recedens miro modo et sapienter militem illum salvavit, et omnes credebant eam esse virum. Finito autem iudicio omnes recesserunt et mercator ad domum suam confusus abiit. Miles autem ad domum puellae ivit. Illa autem interim ornavit se sicut prius ad modum mulieris et amplexatus est eum et ait: "Carissime, quomodo evasisti hodie?" Qui ait: "Ego eram adiudicatus morti et subito intravit quidam miles iuvenis valde et sapiens et generosus et eloquens, qui per sapientiam suam me liberavit et hoc non obstante ita sapienter loquebatur, quod etiam nihil mercatori teneor solvere, quia iudex pro me sententiam dedit et mercator sine solutione abiit." Dixit puella: "Ex quo te deus per sapientiam huius militis salvavit, quare ipsum ad prandium non vocasti?" Respondit miles: "Subito intravit et finito iudicio exivit nec postea potui ipsum videre." Respondit iuencula: "Si eum videres, numquid notitiam eius haberes?" Qui dixit: "Optime." Illa cameram intravit et sicut prius se ornavit; quo facto exivit. Miles cum eam vidisset, ultra quam credi potest gaudebat et osculatus est eam et ait: "Benedicatur hora, in qua fuisti nata." Post hoc cum magno iubilo eam in uxorem duxit et in pace dies suos finierunt.

/*Cap. (273)*/

Theodosius in civitate Romana regnavit prudens valde et potens; qui tres filias pulchras habebat, dixitque filiae seniori: "Quantum diligis me?" At illa: "Certe plus quam me ipsam." Ait ei pater: "Et te ad magnas divitias promovebo." Statim ipsam dedit uni regi opulento et potenti in uxorem. Post haec venit ad secundam filiam et ait ei: "Quantum diligis me?" At illa: "Tantum sicut me ipsam." Imperator vero eam cuidam duci tradidit in uxorem. Et post haec venit ad tertiam filiam et ait ei: "Quantum me diligis?" At illa: "Tantum sicut vales et non plus neque minus." Ait ei pater: "Ex quo ita est, non ita opulenter ero maritare sicut et sorores tuae." Tradidit eam

cuidam comiti in uxorem. Accidit cito post haec, quod imperator bellum contra regem Aegypti habebat. Rex vero imperatorem de imperio fugabat, unde bonum refugii habere non poterat. Scripsit litteras anulo suo signatas ad primam filiam suam, quae dixit, quod patrem suum plus quam se ipsam dilexit, ut ei succurreret in sua necessitate, eo quod de imperio expulsus erat. Filia cum has litteras eius legisset, viro suo regi casum primo narrabat. Ait rex: "Bonum est, ut succurramus ei in hac sua magna necessitate. Colligam exercitum meum et cum toto posse meo adiuvabo eum." Ait illa: "Istud non potest fieri sine magnis expensis. Sufficit, quod ei concedatis, quamdiu est extra imperium suum, quinque milites, qui ei associantur." Et sic factum est. Filia patri rescripsit, quod aliud auxilium ab ea habere non posset nisi quinque milites de sumptibus regis in societate sua. Imperator cum hoc audisset, contristatus est valde et infra se dicebat: "Heu mihi, tota spes mea erat in seniore filia mea, eo quod dixit, quod plus me dilexit quam se ipsam, et propter hoc ad magnam dignitatem ipsam promovi." Scripsit statim secundae filiae, quae dixit "Tantum te diligo quantum me ipsam", quod succurreret ei in tanta necessitate. At illa cum audisset, viro suo denunciabat et ipsi consiliavit, ut nihil aliud ei concederet nisi victum et vestitum, quamdiu viveret, honeste pro tali rege, et super hoc litteras patri suo rescripsit. Imperator cum hoc audisset, contristatus est valde, dicens: "Deceptus sum per duas filias. Iam temptabo tertiam, quae mihi dixit 'Tantum te diligo, quantum vales.'" Litteras scripsit ei, ut ei succurreret in tanta necessitate, et quomodo sorores suae ei respondebant. Tertia filia cum vidisset inopiam patris sui, ad virum suum dixit: "Domine mi reverende, mihi succurre in hac necessitate! Iam pater meus expulsus est ab hereditate sua." Ait ei vir eius: "Quid vis tu, ut ei faciam?" At illa: "Exercitum colligas et ad debellandum inimicum suum pergas cum eo!" Ait comes: "Voluntatem tuam adimplebo." Statim collegit magnum exercitum et sumptibus suis propriis cum imperatore perrexit ad bellum. Victoriam obtinuit et imperatorem in imperio suo posuit. Tunc ait imperator: "Benedicta hora, in qua genui filiam meam iuniorem. Ipsam minus aliis filiabus dilexi et mihi in magna necessitate succurrit, et aliae filiae meae defecerunt, propter quod totum imperium reliquero post decessum meum filiae meae iuniori." Et sic factum est. Post decessum patris filia iunior regnavit et in pace vitam finivit.